

Konrad von Gelnhausen als den „Schöpfer“ der konziliaren Theorie behaupten. Das ist er nun einmal keineswegs: Konrad von Gelnhausen hat die konziliare Theorie nicht geschaffen: sie war vielmehr lange vorhanden. Die *Epistola concordiae* war nicht so sehr epochemachend auf dem Gebiete der Theorie, wie sie bedeutend war für ihre Zeit als kirchenpolitische Tat, so möchte ich sagen. Ob auch Heinrichs von Langenstein Auffassungsweise original war, bleibt erst noch zu untersuchen, ebenso, wie Pariser Theologie und Bologneser Kanonistik überhaupt sich zueinander stellten in den Fragen, die hier in Betracht kommen, über Papst und Konzil.<sup>1)</sup>

## De Concordia trinitatis personarum in Deo cum unitate essentiae.

### Dissertatio.

Scriptis Philippus Claramunt, O. S. B. mon. Montserratensis.

(Conclusio ad fasc. I/II. 1910, pg. 139—153.)

5. Eadem est mens Boëtii illam pronuntiantis sententiam: *Substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem*: qui in suo libro de Trinitate ita disserit: „Decem omnino praedicamenta traduntur, quae de rebus omnibus universaliter praedicantur, id est, substantia, qualitas, quantitas, ad aliquid, ubi, quando, habere, situm esse, facere, pati. Haec igitur talia sunt qualia subjecta permiserint. Nam pars eorum in reliquarum rerum praedicatione substantia est, pars in accidentium numero est. At haec cum quis in divinam verterit praedicationem, cuncta mutantur quae praedicari possunt. *Ad aliquid* vero in Deo non potest praedicari“. Quae Boëtii sententiae attente considerandae sunt. Nam dicit primo, omnia praedicamenta de rebus praedicari: et merito quidem; alioquin praedicamenta non essent: et nihilominus distinguens in eodem libro inter praedicamenta et praedicamenta, de quibusdam, inter quae relatio vel *ad aliquid* numeratur, hoc scribit: „Reliquia vero neque de Deo, neque de caeteris praedicantur“. Inquirendum est igitur quò sensu dicat praedicamenta de rebus praedicari: quo sensu, non praedicari. Praeterea talia ipsa esse dicit qualia subjecta permittunt: id est, in creaturis vel substantiam esse vel accidens: in Deo autem, non eodem, sed alio modo esse quae praedicari possunt, e quorum numero relationem esse negat dicens: „*Ad aliquid* vero in Deo non potest praedicari“. Sic igitur circa haec omnia mentem suam aperit. „Nam substantia, inquit, in illo

<sup>1)</sup> Nachzulesen ist hier zum besseren Verständnis: Bliemetzrieder, Das Generalkonzil, S. 62 ff und 88 ff.; Bliemetzrieder, Literarische Polemik, S. 71\* f.

(Deo) non est vere substantia, sed ultra substantiam. Item qualitas et caetera quae evenire possunt. Quorum ut amplior fiat intellectus, exempla subdenda sunt. Nam cum dicimus *Deus*, substantiam quidem significare videmur, sed eam quae sit ultra substantiam: cum vero *justus*, qualitatem quidem, sed non accidentem, sed eam quae substantia, sed et ultra substantiam. Neque enim aliud quod est, aliud est quod justus est: sed idem est esse Deo quod justo. Item cum dicitur magnus vel maximus, quantitatem quidem significare videmur, sed eam quae sit ipsa substantia talis qualem esse diximus ultra substantiam: idem enim est esse Deo quod magno . . . Sed haec praedicamenta talia sunt, ut in quo sint, ipsum esse faciant . . . Reliquia vero neque de Deo neque de caeteris praedicantur. Hic ergo jam patet, quo sensu dicat Boëtius quaedam praedicamenta de rebus non praedicari: dicuntur nimirum non praedicari, quatenus non significant id quod est illud de quo praedicantur. Sic enim se explicat: „Nam *ubi* vel de homine vel de Deo praedicari potest: de homine, ut in foro: de Deo, ut ubique: sed ita ut non quasi ipsa sit res, id de quo praedicatur, de qua dicitur . . . Rursus *habere* vel *facere*, eodem modo. Dicimus enim, *vestitus currit*, de homine: de Deo, *cuncta possidens regit*. Rursus nihil de eo quod est esse, de utrisque dictum est; sed haec omnis praedicatio exterioribus datur; omniaque haec quodammodo referuntur ad aliud. Cujus praedicationis differentiam sic facilius internoscimus: qui *homo* est vel *Deus*, refertur ad substantiam, qua est aliquid, id est, homo vel Deus. Qui *justus* est, refertur ad qualitatem, qua est aliquid, id est, justus. Qui *magnus*, ad quantitatem, qua unitatum repetitio; velut si de eodem dicam, est aliquid, id est, magnus. Nam in caeteris praedicationibus nihil tale est. Qui enim dicit aliquem esse in foro vel ubique, refert quidem ad praedicamentum quod esse *ubi*; sed non in quo aliquid est, velut justitia justus . . . Jam ne patet, quae sit differentia praedicationum? quod aliae quidem quasi rem monstrant, aliae vero quasi circumstantias rei: quodque illa quidem ita praedicantur ut esse aliquid rem ostendant; illa vero non ut esse, sed potius extrinsecus aliquid quodammodo affingant. Illa igitur quae aliquid esse designant, secundum rem praedicationes vocentur; quae cum de rebus subjectis dicuntur, vocantur accidentia secundum rem; cum vero de Deo, qui subjectus non est, secundum substantiam rei praedicatio nuncupatur. Itaque juxta Boëtium quaedam sunt praedicamenta quae aliquid esse designant, talia scilicet ut in quo sunt, ipsum aliquid esse faciant; et hujusmodi sunt *substantia*, *quantitas* et *qualitas*. De reliquis vero ait: „Nam in caeteris praedicationibus nihil tale est“. Et secundum hanc distinctionem praedicatorum dicit alia praedicamenta de rebus praedicari, alia non praedicari. Unde patet quid significet, dum de relatione scribit: „Ad aliquid

vero in Deo non potest praedicari: quod sequentibus amplius declaratur. „Age nunc, inquit, de relativis speculemur, pro quibus omne quod dictum est, sumpsimus ad disputationem. Maxime enim haec non videntur secundum se facere praedicationem, quae perspicue ex alieno adventu constare perspiciuntur. Age enim, quoniam dominus ac servus relativa sunt, videamus utrum ita sit ut secundum se sit praedicatio, an minime. Atqui si auferas servum, abstuleris quoque dominum: at non etiam, si auferas albedinem, abstuleris quoque album. Sed interest quod albedo accidit albo, qua sublata, perit nimirum album: at in domino, si servum auferas, perit vocabulum quo dominus vocabatur. Sed non accidit servus domino ut albedo albo; sed potestas quaedam qua servus coercetur. Quae, quoniam sublato deperit servo, constat non eam per se domino accidere, sed per servorum quodammodo extrinsecus accessum. Non igitur dici potest praedicationem relativam quicquam rei de qua dicitur secundum se vel addere vel minuere vel mutare; quae tota non in eo quod est esse consistit, sed in eo quod est in comparatione aliquo modo se habere; nec semper ad aliud, sed aliquoties ad idem“. Itaque relatio nihil addit rei de qua praedicatur; quia tota consistit, ut ait Boëtius, non in eo quod est esse, sed in eo quod est in comparatione aliquo modo se habere. Propter quod *domini* ac *servi* proponens exemplum, per quod declarat quomodo praedicatio relativa intelligenda sit, *in domino*, inquit, *si servum auferas, perit vocabulum quo dominus vocabatur*; id est, nihil entitativum perit in eo. Et hac de causa dixit de relativis: „Maxime haec non videntur secundum se facere praedicationem“: et de Deo: „*Ad aliquid* vero in Deo non potest praedicari“. Ad quod magis lectori inculcandum aliud adhibet exemplum dicens: „Age enim, stet quisquam. Ei igitur si accedam dexter, erit ille sinister ad me comparatus: non quod ille ipse sinister sit, sed quod ego dexter accesserim. Rursus ego sinister accedo; item fit ille dexter: non quod ille sit per se dexter, velut albus ac longus, sed quod me accedente fit dexter; atque id quod est, a me et ex me est, minime vero ex sese. Quare quae secundum rei alicujus, in eo quod ipsa est, proprietatem, non faciunt praedicationem, nihil alternare vel mutare queunt, nullamque omnino variare essentiam“. Cum igitur haec auctor divinis personis applicet, aperte significat, quod in divinitate, attendendo ad id quod singulae personae sunt, indifferens est Pater esse aut Filium, quia sive Pater sive Filius, non est nisi Deus; relatio vero paternitatis vel filiationis non addit nisi aliquid extrinsecum respectu personae de qua praedicatur, quatenus Pater non dicitur *Pater* nisi ex eo quod est ei Filius; et Filius non dicitur *Filius* nisi ex eo quod habet Patrem. Ideo subdit Boëtius: „Quocirca si *Pater* ac *Filius* ad aliquid dicuntur, nihilque aliud, ut dictum est, differunt nisi sola relatione; relatio vero non prae-

dicatur ad id de quo praedicatur, quasi ipsa sit et secundum rem de qua dicitur; non faciet alteritatem rei de qua dicitur, sed si dici potest, quo quidem modo id quod vix intelligi potuit, interpretatum est personarum“. Quid enim haec sibi volunt, nisi quod Pater et Filius non possunt differre propter oppositas relationes secundum aliquid entitativum, quia relatio non praedicatur ad id de quo praedicatur, seu quia tota non in eo quod est esse, consistit, sed in eo quod est in comparatione aliquo modo se habere; et proinde Pater et Filius non distinguuntur nisi ut a quo est alius, et qui est ab alio, seu secundum relationes principii ac termini productionis? Ita sane intelligenda est illa Boëtii sententia, quod scilicet relatio multiplicat Trinitatem; siquidem relatio, iudicio ejus, non est aliquid pertinens ad id quod est persona de qua ipsa praedicatur, et proinde nequit personam constituere. Et amplius adhuc se explicat auctor ipse negando aliquam esse inter personas differentiam secundum ea quae tamquam entitativa de illis praedicantur. „Omnino enim, inquit, magna regulae est veritas, in rebus incorporalibus distantias effici differentiis, non locis: neque accessisse dici potest aliquid Deo, ut pater fieret. Non enim coepit esse unquam pater, eo quod substantialis quidem ei est productio Filii, relativa vero praedicatio *patris*. Ac si meminimus omnium in prioribus de Deo sententiarum, ita cogitemus processisse quidem ex Deo Patre Filium Deum, et ex utroque Spiritum Sanctum, hos, quoniam incorporales sunt, minime locis distare. Quoniam vero Pater Deus, et Filius Deus, Deus et Spiritus Sanctus, Deus vero nullas habet differentias quibus differat a Deo, quia a nullo eorum differt. Differentiae vero ubi absunt, abest pluralitas: ubi abest pluralitas, adest unitas. Nihil autem aliud gigni potuit ex Deo nisi Deus. Et in rebus numerabilibus repetitio unitatum non facit modis omnibus pluralitatem. Trium igitur idonee constituta est unitas. Sed quoniam nulla relatio ad se ipsum refferri potest, quod ea secundum se ipsum est praedicatio quae relatione caret; facta quidem est Trinitatis numerositas in eo quod est praedicatio relationis; servata vero unitas in eo quod est indifferentia vel substantiae vel operationis, vel omnino ejus quae secundum se dicitur praedicationis. Ita igitur substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem. Atque ideo sola singillatim proferuntur atque separatim quae relationis sunt. Nam idem Pater qui Filius non est; nec idem uterque qui Spiritus Sanctus. Idem tamen Deus est Pater et Filius et Spiritus Sanctus; idem justus, idem bonus, idem magnus, idem omnia quae secundum se potuerunt praedicari. Sane sciendum est, non semper talem esse relativam praedicationem ut semper ad differens praedicetur, ut est servus ad dominum, differt enim. Nam omne aequale aequali aequale est; et simile simili simile est; et idem ei quod est idem, idem est; et similis est relatio in Trinitate Patris ad Filium,

et utriusque ad Spiritum Sanctum, ut ejus quod est idem, ad id quod est idem“. Ut igitur ostendat Boëtius, personas divinas esse omnino et in omnibus idem, negat aliquam esse inter eas differentiam dicens: „Omnino enim magna regulae est veritas, in rebus incorporalibus distantias effici differentiis, non locis... Ac si meminimus omnium in prioribus de Deo sententiarum, ita cogitemus processisse quidem ex Deo Patre Filium Deum, et ex utroque Spiritum Sanctum, hos, quoniam incorporales sunt, minime locis distare. Quoniam vero Pater Deus, et Filius Deus, Deus et Spiritus Sanctus, Deus vero nullas habet differentias quibus differat a Deo, quia a nullo eorum differt“. Itaque personae divinae nec locis ab invicem distant nec differentiis. Et subdit: „Differentiae vero ubi absunt, abest pluralitas: ubi abest pluralitas, adest unitas“. Per quod infertur tres personas esse unum, ex eo quod nulla differentia sit inter eas<sup>1)</sup>. Unde ait: „Nihil autem aliud gigni potuit ex Deo nisi Deus. Et in rebus numerabilibus repetitio unitatum non facit modis omnibus pluralitatem. Trium igitur idonee constituta est unitas“. Deum igitur ex Deo gigni non est nisi repetitio unitatis. Repetitio autem unitatis in Deo non facit modis omnibus pluralitatem, quia divina unitas per ejus repetitionem non multiplicatur, sed communicatur; et sic manet una numero, subsistens in tribus existentibus suis, seu est unitas trium, vel unitas trina. Quoniam igitur modo repetitio unitatis facit in Deo pluralitatem? „Sed quoniam nulla, inquit, relatio ad se ipsum referri potest, quod ea secundum se ipsum est praedicatio quae relatione caret; facta quidem est Trinitatis numerositas in eo quod est praedicatio relationis; servata vero unitas in eo quod est indifferentia vel substantiae vel operationis, vel omnino ejus quae secundum se dicitur praedicationis. Ita igitur substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem. Atque ideo sola singillatim proferuntur atque separatim quae relationis sunt. Nam idem Pater qui Filius non est; nec idem uterque qui Spiritus Sanctus. Idem tamen Deus est Pater et Filius et Spiritus Sanctus; idem justus, idem bonus, idem magnus, idem omnia quae secundum se potuerunt praedicari“.

<sup>1)</sup> Fortasse verius deducitur negatio differentiae ex unitate substantiae, juxta illud quod S. Augustinus dixit de Filio: (Lib. de videndo Deo, cap. V, n. 16) »Dicendo, Qui me vidit, vidit et Patrem, ostendere voluit unitatem substantiae Patris et Filii, ne in aliquo inter se putarentur esse dissimiles«. Et merito quidem hoc dixit, cum divina substantia nullius generis compositionem in se admittat secundum quam personae inter se differant. Porro non potest dari unitas cum aliqua differentia, quia nihil differt a seipso: at non videtur exinde recte concludi, pluralitatem esse non posse ubi aliqua differentia non est; nam possibile sunt plura entia creata in omnibus similia. Ratio igitur cur non sit in divinitate pluralitas sed unitas, non est personarum similitudo omnimoda, sed divinitatis natura, quae necessario unica est. Nam cum personae productae non procedant ad extra, sed in divinitate maneant, quae multiplicari non potest; necessario personae omnes in una natura subsistunt.

Quare facta est Trinitatis numerositas in eo quod est praedicatio relationis? Quoniam ea, inquit, secundum se est praedicatio quae relatione caret; id est, quoniam relatio est ad alterum; seu quia praedicatio relationis in Trinitate significat respectum termini productionis ad suum principium, vel principii ad terminum. Ita et non aliter, juxta S. Anselmum, obviat relatio quominus una tantum sit in divinitate persona; et idem significat Boëtius suo peculiari loquendi modo. Nam unitas juxta Boëtium intelligenda est quoad omnia quae secundum se faciunt praedicationem; ista autem sunt quae pertinent ad entitatem vel perfectionem rei de qua praedicantur, id est, personae divinae: quod de relatione negat dicens quod tota consistit non in eo quod est esse, sed in eo quod est in comparatione aliquo modo se habere; quod non praedicatur ad id de quo praedicatur, quasi ipsa sit et secundum rem de qua dicitur; quod *ad aliquid* in Deo non potest praedicari; quod maxime relativa non videntur secundum se facere praedicationem, quia perspicue ex alieno adventu constare perspiciuntur; quod cum praedicatur substantia, vel qualitas, vel quantitas, significatur aliquid quod est id de quo praedicatur, in caeteris autem praedicationibus nihil tale est: Si ergo secundum ea quae personae divinae sunt substantialia, vel quae perfectionem important, non est nisi unitas; non aliter per relationes potest fieri pluralitas quam divina unitate existente in principio et in termino communicationis suae; et consequenter unaquaeque persona non est nisi divina essentia, juxta illud S. Anselmi: „Quod est singulus quisque, hoc est tota Trinitas simul, Pater et Filius et Spiritus Sanctus: quoniam singulus quisque non est aliud quam summe simplex unitas, et summe una simplicitas, quae nec multiplicari, nec aliud et aliud esse potest“. Et confirmatur interpretatio quam dedimus verborum illorum, *Facta quidem est Trinitatis numerositas in eo quod est praedicatio relationis*, per verba immediate sequentia, *servata vero unitas in eo quod est indifferentia vel substantiae vel operationis vel omnino ejus quae secundum se dicitur praedicationis*. Si enim non est differentia inter personas neque quoad substantiam, neque quoad operationem, neque quoad aliquid quod secundum se, ut loquitur Boëtius, faciat praedicationem, id est, quod ad personae entitatem vel perfectionem pertineat; quid aliud restat per quod personae inter se distinguantur, nisi sola processio unius ab alia? In qua Boëtii sententia insuper notandum est, quod si unitas non modo secundum substantiam, sed etiam secundum operationem et secundum omnia quae de persona divina tamquam perfectiones possunt praedicari, est intelligenda; generatio non est aliquid proprium Patris secundum substantialem operationem qua producitur Filius, sed secundum quod Filius procedit ab eo. Porro vita vel foecunditas quae processio est causa, eo ipso quod perfectio est personae generantis, communis,

juxta Boëtium, personis omnibus existit. Nec minori claritate hanc personarum similitudinem omnimodam rursus significat dicens: „Sane sciendum est, non semper talem esse relativam praedicationem ut semper ad differens praedicetur, ut est servus ad dominum, differt enim. Nam omne aequale aequali aequale est; et simile simili simile est; et idem ei quod est idem, idem est; et similis est relatio in Trinitate Patris ad Filium, et utriusque ad Spiritum Sanctum, ut ejus quod est idem, ad id quod est idem“. Quid est enim quod praedicationem relativam in personis divinis dicit non esse ad differens, sed ad simile et ad idem, cum antea dixerit quod Pater et Filius sola relatione differunt? Porro hae duae sententiae, si secundum idem accipiuntur, contradictoriae sunt. Quomodo autem contradictoriae non sint, sic ostenditur. Cum dicit Boëtius: „Omne aequale aequali aequale est“, etc., non loquitur de relatione ipsa, paternitatis scilicet, filiationis etc., sed de relationis ejusdem subjecto; et considerat subjectorum aequalitatem, similitudinem, identitatem. Itaque dicens quod similis est relatio Patris ad Filium et utriusque ad Spiritum Sanctum, ut ejus quod est idem, ad id quod est idem, non significat similitudinem paternitatis ad filiationem etc., sed Patris ad Filium, id est, personae ad personam. Cum igitur dicit quod Pater et Filius sola relatione differunt, intelligendum hoc est de relatione ipsa, paternitatis scilicet et filiationis; nam revera alia est ratio termini productionis, alia ratio principii; nequaquam vero de aliqua dissimilitudine inter personas.

6. Sunt vero qui contendunt, contra expositam Boëtii doctrinam, in omnibus praedicamentis esse aliquid entitatis, eo quod ad ordinem realem ipsa pertineant: et exinde inferunt relationem realem, quae in creatura est accidens, in Deo esse substantiam. Sed non advertunt quod aliud est, aliquid esse ens: aliud vero, aliquid ad ordinem realem pertinere: itemque quod aliud est esse accidens reale; aliud vero, esse entitatem accidentalem. Nam ad aliquid reale dicendum, satis est si locum habeat in rerum natura independentem a consideratione mentis nostrae: in hoc autem sensu non negat Boëtius aliqua praedicamenta esse quidquam reale; sed utique de aliquibus negat ipsa esse quidquam entitatis in re de qua praedicantur. Quod homo sit in foro, ut Boëtii utamur exemplo, realis quidem respectus est ad locum; sed quoad ea quae entitativa sunt in homine, indifferens est quod ipse sit in foro, aut in agro, aut alibi, quia praedicamentum *ubi* non addit nisi aliquid extrinsecum rei quae est in loco; quod Boëtius significat dicens de hujusmodi praedicamentis quod nihil de eo quod est esse, de talibus dicitur, sed haec omnis praedicatio exterioribus datur, omniaque haec quodammodo referuntur ad aliud. Similiter quod quis locum occupet stando, vel sedendo, vel cubando, accidentia realia sunt corporis

quod est in loco, sunt enim diversae dispositiones partium corporis: accidentia autem sunt, quatenus possunt esse et non esse, id est, mutationi sunt obnoxia; et realia sunt, quatenus ad ordinem realem pertinent, non ad idealem vel logicum. Non autem idem sunt, sed differunt, esse mutabile, seu esse posse et non esse, et esse entitatem accidentalem: itemque diversa sunt, ad ordinem realem simpliciter pertinere, et aliquid entitatis esse. Ad intelligendum quid significet denominatio quaelibet, considerare oportet unde nomen sumptum est; denominari quippe res possunt ab intrinseco vel ab extrinseco. Sic *doctus* est denominatio ab intrinseco, quia forma vel qualitas unde nomen sumitur, scientia nempe vel doctrina, existit in subjecto quod tali nomine decoratur. *Sanus* vero, si dicatur de cibo, est denominatio ab extrinseco; quia sanitas, unde cibus dicitur sanus, non est in cibo, sed in animali: denominatur autem cibus a sanitate animalis propter suum respectum ad eam, tamquam causae ad effectum. Non est ergo tribuenda cuiquam rei aliqua forma, eo quod eadem res cum veritate denominetur ab ea; quoniam ab ipsa denominatione ad existentiam formae in re denominata non valet consequentia. Sicut ergo *sanum* dici potest de habente ac de non habente in se sanitatem, ita *reale* dicitur de omni praedicato entis realis, sive entitatem praedicatum ipsum per se importet, sive non. Similiter nomen *accidens* duo significare potest, quidquid nimirum esse potest et non esse secundum rei alicujus mutabilitatem, ut *stare* vel *sedere*; aut quidquid esse potest et non esse, non modo secundum rei mutabilitatem, sed etiam secundum rei entitatem vel perfectionem, ut *scientia* in homine. Erroneum est igitur omnibus praedicamentis tribuere aliquid entitatis, ex eo quod ad ordinem realem omnia pertineant; sicuti etiam notionem *accidentis realis* cum *entitatis accidentalis* notionem confundere. Realem ergo respectum, sive in Deo sive in creatis, habent ad invicem pater et filius: realis autem est respectus ipse, quia reales sunt personae patris et filii, et realiter ex patre natus est filius: quis enim dubitet quin rationes istae sufficiant ut respectus *realis* dicatur? In Deo tamen necessariae sunt relationes oppositae Patris et Filii, quia necessaria est generatio; in creatis vero contingentes, quia generatio potest non esse. Opinio autem eorum qui putant relationem paternitatis in Deo non consequi generationem sicut in creatura, sed generationi praesupponi, et esse causam illius, nec in divina revelatione aliquod fundamentum habet, nec in naturali evidentia; et insuper contraria est doctrinae SS Patrum, ut satis probatum est, et amplius adhuc demonstrabitur. Denique si quis in contrarium objiciat quod in Praefatione Missae cantatur: „Et in personis proprietates, et in essentia unitas, et in maiestate adoretur aequalitas“; adorari autem non debet nisi quod idem est cum divina essentia, et consequenter relatio paternitatis, quae est proprietates Patris, est

ipsa Patris substantia; ad hoc respondeo: 1. Quod si dum dicitur: *Et in personis proprietas*, intelligitur omnis proprietas, adoranda erit et innascibilitas, etiam ut proprietas relativa est; quod est absurdum, cum ut proprietas relativa, nihil positivi illa sit, sed tantum negatio originis. 2. Sicut dicitur in Praefatione ut adoretur proprietas in personis, ita dicitur ut adoretur aequalitas in majestate: atqui adorare aequalitatem in majestate est adorare majestatem in tribus aequalem; majestas enim est quae adoratur agnoscendo aequalitatem personarum, non aequalitatis relatio, quae nihil est praeter majestatem ipsam nisi comparatio mentis nostrae inter personas: ergo etiam adorare proprietatem in personis est adorare personas singulas in sua propria personalitate. Rursus 3. adoranda etiam dicitur unitas in essentia: atqui per hoc significatur adorandam esse essentiam tamquam unam seu agnoscendo ejus unitatem; ergo etiam dum adoranda dicitur proprietas in personis, significatur adorandas esse personas ut realiter distinctas, vel unamquamque in sua propria personalitate: utrumque enim confitemur in Symbolo Athanasiano dicentes: *Neque confundentes personas, neque substantiam separantes*. Jam vero per hoc non declaratur quidnam sit cujusque personae constitutivum; et consequenter ex citatis verbis Praefationis nihil concluditur contra nostram de divinis relationibus sententiam.

7. Quod relatio, quamvis est accidens in creatura, non tamen est substantia in Deo, confirmatur doctrina S. Augustini, quem Boëtius in suo libro de Trinitate sequi profitetur, quique Libro V. de Trin., cap. IV. et V. ita disputat adversus Arianos: „Accidens autem non solet dici nisi quod aliqua mutatione ejus rei cui accidit, amitti potest . . . Nihil itaque accidens in Deo, quia nihil mutabile aut amissibile . . . Quamobrem nihil in eo secundum accidens dicitur, quia nihil ei accidit; nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur“. Notandum hic est quod numero praecedenti dicebamus, *accidens* nimirum vocari posse non modo entitatem vel perfectionem accidentalem, quae acquiri potest vel amitti, sed quidquid de ente reali praedicatur et mutationi est obnoxium: sub definitione enim accidentis quam tradit S. Doctor, utrumque comprehenditur. Notandum praeterea, quod si phrasim *non secundum accidens dicitur* significat, id de quo agitur, non esse accidentale subjecto de quo praedicatur, consequens est ut per phrasim *non secundum substantiam dicitur* significetur non esse substantiale subjecto quod attribuitur ei. Et in isto quidem sensu hac phrasi utitur Boëtius, dicens de praedicamentis quae in suo conceptu important aliquid entitatis: „Illa igitur quae aliquid esse designant, secundum rem praedicationes vocentur: quae cum de rebus subjectis dicuntur, vocantur accidentia secundum rem: cum vero de Deo, qui subjectus non est, secundum substantiam rei praedicatio nuncupatur“.

Et ut clarius verba haec intelligantur, de iisdem praedicamentis scribit: „Nam cum dicimus *Deus*, substantiam quidem significare videmur, sed eam quae sit ultra substantiam: cum vero *justus*, qualitatem quidem, sed non accidentem, sed eam quae substantia, sed et ultra substantiam. Neque enim aliud quod est, aliud est quod *justus* est: sed idem est esse Deo quod *justo*“. Insuper, cum ex differenti proprietate inferant Ariani diversitatem substantiae in divinis personis, quia proprietatem personae cum ejus substantia confundunt, S. Augustinus autem respondeat falsum esse medium quod assumunt ad probandum suum assertum, et eandem falsitatem significet per phrasim *non secundum substantiam dicitur*; manifestum est, sensum hujus phrasim esse, apud S. Augustinum loc. cit., quod proprietas non est aliquid substantiale personae de qua praedicatur: et ridicula quidem esset responsio S. Doctoris ad adversarios, si praedicta phrasim alium sensum haberet. Prosequitur autem ipse suum argumentum dicens: „In rebus enim creatis atque mutabilibus quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur: omnia enim accidunt eis, quae vel amitti possunt vel minui, et magnitudines et qualitates, et quod dicitur ad aliquid, sicut amicitiae, propinquitates, servitutes, similitudines, aequalitates, et si qua hujusmodi, et situs et habitus, et loca et tempora, et opera atque passiones“. Quid respondebunt ad haec, si qui forte opinantur quod per id quod neque secundum substantiam neque secundum accidens dicitur, significat S. Doctor personae subsistentiam? Nam per ea quae dicit de creaturis, ostendit se loqui de accidentibus earum, quae si entitatem vel perfectionem important, ut *sapientia*, sunt in Deo substantialiter. Haec igitur mens ejus est: — quae de rebus creatis dicuntur secundum accidens, quaedam dicuntur de Deo secundum substantiam, quaedam vero nec secundum substantiam nec secundum accidens. — Porro omnis entitas vel perfectio creaturae est in Deo substantialiter; et vel formaliter vel eminenter, prout sit in suo genere perfectio pura, vel mixta imperfectione. Ergo illa quae dicuntur de creatura secundum accidens, ac de Deo dicuntur quidem, sed neque secundum substantiam neque secundum accidens, sunt quidem accidens in creatura, sed non entitas accidentalis; et ideo non dicuntur de Deo secundum substantiam. Et cum creatura secundum ea sit mutabilis, Deus autem immutabilis; neque dicuntur de Deo secundum accidens. Praeterea, cum relatio sit in creatura accidens praedicamentale, si esset aliquid entitativum, non esset in Deo subsistentia simpliciter, sed res subsistens, nempe, divina substantia: ergo dicendo quod relatio non praedicatur de Deo secundum substantiam, non significatur relationem esse personae divinae subsistentiam, sed nihil esse entitativum in Deo, quia nihil tale est in creatura; non enim dicitur esse accidens in creatura nisi in

quantum est mutabilis; et ideo dicitur non praedicari de Deo secundum accidens, quia in eo est immutabilis: quod S. Doctor ita declarat: „In Deo autem nihil quidem secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est; nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, quod non est accidens: quia et ille semper Pater, et ille semper Filius; et non ita semper quasi ex quo natus est Filius, ut ex eo quod numquam desinat esse Filius, Pater non desinat esse Pater; sed ex eo quod semper natus est Filius, nec coepit unquam esse Filius. Quod si aliquando esse coepisset, aut aliquando esse desineret Filius, secundum accidens diceretur“. Ecce quod S. Doctor significat nomine *accidentis*, dum dicit relationem de persona divina non praedicari secundum accidens: significat nimirum Patrem non esse patrem, nec Filium esse filium contingenter vel mutabiliter, sed immutabiliter ac aeternaliter. Ex quo certe non sequitur relationem paternitatis vel filiationis esse aliquid entitativum vel substantiale personae divinae: sed si relatio accidentalis esset accidentalis entitas, falsum esset S. Augustini assertum, quod scilicet relatio de persona divina non praedicatur secundum substantiam; nam praedicamentum quod in creatura est perfectio accidentalis, in Deo est divina substantia. Loquendo igitur de accidente, nihil dicit S. Doctor de entitate personae divinae; quia in eo sensu negat relationem in Patre et Filio esse accidens, quod necessaria est et immutabilis nativitas Filii. Loquendo vero de praedicamento *substantiae*, haec habet: „Si vero quod dicitur Pater, ad seipsum diceretur, non ad Filium; et quod dicitur Filius, ad seipsum diceretur, non ad Patrem; secundum substantiam diceretur et ille Pater, et ille Filius: sed quia et Pater non dicitur Pater nisi ex eo quod est ei Filius, et Filius non dicitur nisi ex eo quod habet Patrem, non secundum substantiam haec dicuntur; quia non quisque eorum ad seipsum, sed ad invicem atque ad alterutrum ista dicuntur: neque secundum accidens, quia et quod dicitur Pater, et quod dicitur Filius, aeternum atque incommutabile est eis. — Quamobrem quamvis diversum sit Patrem esse et Filium esse, non est tamen diversa substantia: quia hoc non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relativum; quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile“. Id est, Pater non dicitur Pater secundum substantiam, quia haec denominatio non convenit ei secundum aliquid suae personalitati intrinsecum, sed solummodo secundum quod ex eo natus est Filius. Ideo de Patre dicit alibi S. Doctor: „Cum autem Pater est, non illud est quod est“. Et idipsum significat Boëtius dicens de quibusdam praedicamentis inter quae relatio numeratur, quod nihil de eo quod est esse, de talibus dicitur, sed haec omnis praedicatio exterioribus datur. Unde concludit S. Doctor quod quamvis diversum sit Patrem esse et Filium esse,

diversitas tamen proprietatis non obstat identitati substantiae inter personas: quae quidem conclusio, doctrinae Arianorum contraria, nulla prorsus esset, si proprietates, id est, paternitas vel filiatio, esset substantia personae; nam Ariani, ut supra dixi, ex differenti proprietate inferunt diversitatem substantiae in Patre et Filio, eo quod personae proprietatem cum ejus substantia confundant.

8. S. Fulgentius quoque in suo Libro contra Arianos docet, sicut Boëtius, quod Patrem esse vel Filium non est aliquid personae intrinsicum, sed merus respectus ad alterum. „Pater ergo et Filius, inquit, relativa sunt nomina, quae naturam gignentis genitique non separant, sed unam sine dubitatione significant. Relativum vero illud dicimus quod ad alium agnoscendum referimus, ut dum unum nominamus, alium demonstramus: sicut inter homines haec relativa saepius nominantur, pater et filius, filius et pater; socer et gener, gener et socer; nam ideo pater dicitur, ut filium genuisse noscatur; et filius ideo dicitur, ut de patre genitus demonstretur“. Sicut ergo in creatis, ita in divinis Pater ideo *Pater* dicitur, ut filium genuisse noscatur; et Filius ideo *Filius* dicitur, ut de patre genitus demonstretur. Et hoc est quod auctor significat dicens quod relativum illud dicimus quod ad alium agnoscendum referimus, ut dum unum nominamus, alium demonstramus. Quod etiam docet Epist. XIV., n. 8, ubi de divinis personis sermonem faciens, circa nomina earum *Pater, Filius et Spiritus Sanctus* haec scribit: „In quolibet autem relativo nomine sic certum est unam in seipsa significari personam, ut hinc referatur ad alteram: et non solum in his quae eadem sunt, sicut dicitur frater ad fratrem, amicus ad amicum, vicinus ad vicinum; sed etiam in his quae diversa sunt, sicut dicitur pater ad filium, filius ad patrem, genitor ad genitum, vel genitus ad genitorem; ex quolibet horum nomine geminam intelligi solere personam. Neque enim in his nominibus sic una persona singulariter dicitur, ut non ad alteram ipso suo nomine referatur: relativo enim vocabulo sic persona quaelibet dicitur in se, ut non dicatur ad se“. Id est, persona divina a relatione quidem denominatur, seu relativum vocabulum personam quidem significat; sed relatio non est nisi merus respectus ad alterum. Ideo dicit idem auctor in Libro de Trin., cap. II.: „Pater non sibi est, sed Filio; Filius non sibi est, sed Patri; Spiritus alicujus est aspirantis: ergo ad Patrem Filiumque refertur“. Quid enim est hoc, nisi quod Pater ideo *Pater* dicitur, ut filium genuisse noscatur; et Filius ideo *Filius* dicitur, ut de patre genitus demonstretur. In his positae sunt proprietates paternitatis et filiationis, ut ipse docet in Lib. contra Arianos dicens: „Equidem dum nominantur Pater et Filius, in his duobus nominibus vocabulorum diversitas agnoscitur; quin potius per haec duo diversa vocabula significatur una utriusque natura: quoniam istorum nominum diversitas non naturas dividit, sed veritatem generationis

ostendit, ut ex uno vero Patre unum verum agnoscamus Filium extitisse; ac sic dum vera Patris generatio et vera Filii nativitas praedicatur, in uno genitore et uno genito non solum unitas substantiae, verum etiam in unoquoque proprietates possit agnosci personae, ne aut ipse putetur natus esse qui genuit, aut aliud putetur esse qui natus est, quam est ille qui genuit. Non enim ipse est Pater qui Filius, quoniam in utroque personarum proprietates reservatur. Sed quod Pater est, hoc est et Filius, quia de Deo Deus, de perfecto perfectus, de immenso immensus, de omnipotente omnipotens, de aeterno Patre natus est Filius coaeternus, eadem veritate dicente: *Omnia quae habet Pater, mea sunt*“. Proprietates igitur paternitatis et filiationis in eo consistunt quod alius est qui genuit, alius qui natus est: diversitas autem inter personas ipsas non est nisi in vocabulis quae principium et terminum generationis significant. Utrumque expressit S. Hilarius Lib. VII. de Trin. n. 20, dicens: „Neque aliter potuit aut debuit Filius a Patre distingui, quam ut et natus esse, nec tamen differens doceretur“. Et similiter n. 39: „Et Pater, inquit, pater est, et Filius filius est. Sed in his nominibus ac rebus nihil in se novum, nihil diversum, nihilque peregrinum est“. Et ut magis pateat mens S. Fulgentii super hac materia, exemplum addimus generationis humanae per quod ipse declarat in cit. lib. contra Arianos quid significant in divinis personis nomina *Patris* et *Filii*. „Sed quid ulterius, inquit, de duobus patribus duobusque filiis disputetur? cum istius assertionis veritas personarum diversitate non egeat, sed ad documentum sui facilius possit unius hominis consideratione fulciri, qua cognoscatur, relativa nomina diversitate sui non naturarum diversitatem ostendere, sed ad personarum significationem maxime pertinere, ut scilicet dum unus ostenditur, alterius quoque persona noscatur: illud autem nomen patri semper esse filioque commune, non quo relatio personalis ostenditur, sed quo substantialis proprietates demonstratur: nempe Seth de Adam patre natus, et de non genito genitus, Adam patris dictus est filius. Iste ergo donec ad virilem perveniret aetatem, ut filium gigneret, pater dici non potuit, et pater usquam generaret, filius tantum fuit: quando autem genuit, etiam pater esse jam coepit. Accedente igitur diversitate paterni nominis, nulla in eo facta est diversitas naturalis; et cum unus homo haec duo coepisset habere vocabula, non est in eo mutata, aut divisa, vel duplicata natura: fuit enim filius, quia de patre exstitit; fuit pater, quia filium genuit; nec tamen ita naturam filii, in qua natus est, habuit, ut in ea permanens pater esse non posset; nec aliam cum nomine patris essentiam acquisivit, ut filii substantiam, in qua natus fuerat, perdidisset; sed quod verum est, sicut homo fuit, quando filius exstitit nascendo, sic permansit homo, quando pater factus est generando; nec aliud fuit quam homo, quod erat Adam, de quo

ipse est natus, et quod erat Enos, qui de ipso est genitus. In Patre ergo Deo et Filio Deo, personarum proprietate servata, impossibile non dicitur, quod documento etiam cujuslibet hominis comprobatur, sed discernamus quid ad relationem, quid ad substantiam pertinere noscatur. Relationis enim sunt nomina, Pater et Filius; substantiae vero nomen unum est, quod dicitur Deus. Relationis ergo nomina singula retinent; substantiae vero nomen unum communiter possident; quia licet unus dicatur Pater, et alter Filius, sic tamen est Filius Deus, sicut Pater est Deus: illis namque duobus nominibus generatio vera cognoscitur, isto autem uno communi nomine substantialis unitas demonstratur“. Itaque sicut Seth fuit filius, quia de Adam natus est; et fuit pater, quia genuit Enos; nec tamen, cum pater esse coepit, aliquid fuit praeter id quod antea erat; non enim aliud fuit quam homo, quod jam erat prius; neque ita naturam filii prius habuit, ut in ea permanens, pater esse non posset; similiter in divinis Pater non dicitur *Pater*, ut ait S. Augustinus, nisi ex eo quod est ei Filius; et Filius non dicitur *Filius* nisi ex eo quod habet Patrem: nec aliquid Filio deest, ut ait Nazianzenus, ad hoc ut sit Pater; nec tamen Pater est, quia de ipso alius non est natus. Unde quoad id quod sunt singulae personae divinae, indifferens est Patrem esse vel Filium aut Spiritum, quia omnes et singulae nihil aliud sunt nisi Deus. Haec tamen intelligenda sunt, personarum proprietate servata: nam Seth fuit quidem filius et pater respectu diversorum hominum; at in divinitate hoc locum non habet, ubi unicus est Pater, unicus Filius, et unicus utriusque Spiritus; nec potest esse Pater persona quae designatur nomine Filii, nec Filius quae designatur nomine Patris; et idem tenendum de proprietate Spiritus Sancti.

9. S. Basilius de nominibus *Patris* et *Filii* ita disserit (Lib. II. adv. Eunomium, n. 4): „Sed quis mentis compos ad hanc sententiam accesserit, quod quorum nomina sunt diversa, horum etiam substantias diversas esse necesse sit? Petri enim et Pauli, et in summa, hominum omnium appellationes sunt quidem diversae; sed tamen omnium una substantia est. Quapropter in plurimis iidem inter nos sumus, et solis proprietatibus quae in unoquoque considerantur, alter ab altero differimus. Unde et appellationes non substantias, sed proprietates quibus quisque designatur, significant. Itaque cum audimus *Petrum*, non ejus substantiam hoc nomine intelligimus (substantiam autem nunc dico materiale subjectum, quod nequaquam eo nomine significatur); sed proprietates quae circa eum considerantur, cogitatione depingimus. Illico enim per hanc vocem intelligimus Jonae filium, qui fuit ex Bethsaida, Andreae fratrem, qui ex piscatore ad apostolatus ministerium vocatus est. Qui quoniam fide praestabat, Ecclesiae adificationem in seipsum recepit: quorum nihil quidquam essentia est, si essentia tamquam

substantia intelligatur. Quare nomen characterem quidem Petri nobis circumscribit; ipsam vero essentiam nequaquam exhibet. Rursus, cum *Paulum* audimus, aliarum proprietatum intelligimus concursum, Tarsensem, Hebraeum, secundum legem Pharisaicum, Gamalielis discipulum, aemulationis ergo Ecclesiarum Dei persecutorem, ex tremendo viso ad agnitionem perductum, Apostolum gentium. Haec enim omnia una *Pauli* voce circumscribuntur. Atqui si verum esset essentias eorum quorum nomina diversa sunt, contrario modo se habere, oporteret certe et Paulum et Petrum et generatim homines omnes diversae inter se essentiae esse. Sed cum nemo sit ita ignarus, ita communis naturae imperitus, qui id dicere animum inducat; *E luto enim, inquit, formatus es tu, sicut et ego*, ubi nihil aliud nisi eandem essentiam omnium esse significat Scriptura; mendax est qui ex nominum diversitate diversitatem essentiae sequi fingit. Nec enim rerum natura nomina sequitur; sed posterius rebus nomina inventa sunt. Etenim si id verum esset, quorum eadem essent appellationes, eorum etiam oporteret unam et eandem essentiam esse. Proinde cum *Dei* appellatione dignati sint qui in virtute sunt perfecti, essent utique homines Deo universorum coessentiales. At sicut hoc dicere manifesta insania est, sic et sermo ille dementiam non dissimilem sapit. Ex his autem infert n. 5: „Patet igitur ex dictis quod nomina non significant quoque in Patre et Filio essentiam, sed proprietates designent. Nullum igitur locum habet is sermo qui ex nominum diversitate essentiarum contrarietatem introducit“. Itaque sicut esse Tarsensem non est aliquid de essentia Pauli, et esse ex Bethsaida non est aliquid de essentia Petri, sed ambo sunt merus respectus ad rem extrinsecam; et ideo non habent diversas essentias Petrus et Paulus, quamvis aliud est esse ex Bethsaida, aliud esse Tarsensem; similiter paternitas in divinis non est aliquid de essentia Patris, nec filiatio aliquid de essentia Filii, sed ambae sunt merus respectus ad personam alteram; et ideo non sunt diversae essentiae Pater et Filius, quamvis aliud est esse patrem, aliud esse filium. Exemplum enim Petri et Pauli ac proprietatum eorum adhibet S. Doctor ad declarandum quomodo distinguendum est inter personam divinam et proprietatem ejus, ut inde concludat personas divinas non esse diversae essentiae, seu diversae entitatis vel perfectionis. Praeterea in hoc argumento S. Basilii notare oportet, quod nomine *substantiae* ipse personam significat: ait enim: „Cum audimus *Petrum*, non ejus substantiam hoc nomine intelligimus (substantiam autem nunc dico materiale subjectum, quod nequaquam eo nomine significatur); sed proprietates quae circa eum considerantur, cogitatione depingimus“. Quid enim est *materiale subjectum*, nisi persona Petri sine respectu ad aliquid? et quid est *proprietas* nisi respectus ejusdem personae ad rem extrinsecam? propterea dicit quod propri-

etates circa eum, id est, circa personam Petri, considerantur. Nec minus notatu dignum est, quod proprietates quae nobis in mente repraesentantur audito nomine *Petri*, ejusdem Petri characterem esse dicit. „Nomen, inquit, characterem quidem Petri nobis circumscribit“. Nam character iste non est aliqua forma realiter existens in persona Petri, siquidem proprietates de quibus agitur, sunt merus respectus ad rem extrinsecam; sed utique est forma existens in mente nostra: et ideo dicit: „proprietates quae circa eum considerantur, cogitatione depingimus“. Porro haec prae oculis habenda sunt ad intelligendam hujus S. Doctoris doctrinam circa Trinitatis mysterium.

10. Et ut manifestius appareat S. Basilium de praefatis personarum divinarum nominibus vel proprietatibus ita sentire, audiamus eum de nominibus relativis disserentem ibid. n. 9, ad ostendendum nomen *geniti* vel *fili* non significare aliquid de personae divinae substantia. „Quis enim nescit, inquit, nomina ea quae absolute et per se proferuntur, subjectas sibi res significare; ea vero quae respectu aliorum dicuntur, habitum solum quem ad ea quae dicuntur, habent, indicare? Exempli causa, *homo*, *equus*, *bos*, unamquamque rem quae nominatur, indicant. *Filius* vero, aut *servus*, aut *amicus*, solam quam cum conjuncto nomine habent, affinitatem significant. Itaque *genituram* qui audit, non ad quamdam substantiam excogitandam mente fertur; sed cum alio junctam eam esse intelligit. Genitura enim alicujus genitura dicitur. Quod autem substantiae ejuspiam notionem non parit, sed solam ad aliud habitudinem notat, id substantiam esse sancire, an non summae amentiae est? Atqui paulo superius a nobis demonstratum est, absoluta etiam nomina, etiamsi maxime subjectum quiddam significare videantur, non tamen substantiam ipsam exhibere, sed proprietates quasdam circa ipsam designare. Sed sapientissimus ille, qui in vanis artibus vitam totam consumpsit, dicere non erubescit, *genitura* substantiam ipsam Unigeniti significari. Quod quam absurdum sit, quaeso, animadvertite“ etc. Redarguit igitur S. Doctor Eunomium, qui dicebat Filium Dei vocari *genitum* secundum substantiam, et *genituram* eum appellabat, ut ex oppositione inter *genitum* et *ingentum* concluderet non esse Filium ejusdem cum Patre substantiae. S. Doctor autem ostendit, nomina hujusmodi non significare nisi habitudinem unius ad alium; et proinde diversitatem inter *genitum* et *ingentum* non obstare identitati substantiae: et secundum hoc nomini *geniti* aequiparat nomen *fili*. *Secundum hoc* dixi: nam *genitus*, tamquam participium, pertinet aut quodammodo reducitur ad categoriam passionis, significat enim originem seu productionem passivam; *filius* vero pertinet ad categoriam relationis. Aequiparari autem haec vocabula possunt, quatenus eandem significant habitudinem. Et a S. Augustino quidem, sicut

a S. Basilio, aequiparantur his verbis (Lib. V. de Trin., cap. VII.): „Ac primum videndum est hoc significari cum dicitur *genitus* quod significatur cum dicitur *filius*. Ideo enim filius quia genitus; et quia filius, utique genitus“. Cum igitur utrumque vocabulum eadem habitudinem denotet, quod videlicet una persona est ab alia per generationem; etsi non est utriusque eadem ratio formalis secundum categoriae speciem; cum tamen aliquam hoc differentiam non importet secundum rei veritatem, sed solummodo secundum nostrum concipiendi modum; ideo de utroque indiscriminatim dici debet quod solam significat habitudinem, seu quod non praedicatur de persona secundum substantiam, id est, tamquam aliquid entitativum. Et de utroque sane istud pronuntiat S. Basilius. De *filio*, ubi legitur: „*Filius* vero, aut *servus*, aut *amicus*, solam quam cum conjuncto nomine habent, affinitatem significant“: de *genito* autem, per verba immediate sequentia: „Itaque *genituram* qui audit, non ad quamdam substantiam excogitandam mente fertur; sed cum alio junctam eam esse intelligit. Genitura enim alicujus genitura dicitur“. Quid enim per hoc significatur nisi origo? Quemadmodum igitur appellationes *Tarsensis*, *Hebraeus*, etc., ut supra dicebamus, significant quosdam personae Pauli respectus quibus ipsa designatur, ita per appellationem *Patris* una e divinitatis personis dignoscitur, illa nempe a qua procedit Deus Filius; et per appellationem *Filii* ipsa quae procedit a Deo Patre. *Pater* igitur, *Filius* et *Spiritus Sanctus* sunt simpliciter attributa quae personis divinis conveniunt secundum originem, et a quibus ipsae denominantur: nec possunt personae singulae denominari, nomine proprio, nisi ab extrinseco; nihil enim intrinsecum habent in quo differant, cum sive omnes simul sive singulae, nihil aliud sint nisi divina essentia. Ideo ait S. Hilarius de Patre et Filio (Lib. II. de Trin., n. 11.): „Non ingeni duo, quia natus est ab innato; alter ab altero nihil differens, quia vita viventis in vivo est“. Et prosequitur S. Basilius idem argumentum dicens: „Etenim si substantia genitura sit, et vice versa, si quod genitura est, hoc substantia sit, geniturae omnes erunt inter se consubstantiales. Hinc jam secundum hujus rationem quid eveniet? comperietur universorum opifex eandem cum omnibus generationem participantibus substantiam habere. Nec enim dicturus est *genituram* in Filio substantiam significare, in reliquis vero generationis partibus non eandem amplius notionem retinere. Alioqui proferat claram quamdam causam cui non possit contradici, cur appellatio eadem eandem similiter in omnibus vim non habeat. At certe non poterit. Quamcumque enim geniturae rationem excogitaverit, ea omnibus similiter genitis congruet“. Et ibidem subiungit: „Verum autem esse quod dicimus, id quod cuique audientium in mentem venit, maximum signum est. Interroget enim unusquisque seipsum, ubi audierit: hic hujus genitura est, quid animo

concepiat? Num cogitat genitum genitoris substantiam esse? Certe ut hoc ridiculum est, ita illud verum, quod ab eo per generationis modum ad esse productus sit. Hoc itaque par fuerit similiter et de Unigenito et de quocumque genito dicere. Et nemo, quoniam communis habitus est, Unigeniti dignitatem destrui existimet. Non enim Filius in eo differt ab aliis, quod sese ad aliquid certo quodam modo habeat; sed Dei praestantia qua res mortales superat, in substantiae proprietate ostenditur. Quid igitur haec sibi volunt, nisi quod Filii dignitas non in eo consistit quod filius vel genitus sit, sed in divina substantia quam a Patre accepit? Nonne autem blasphemia esset dicere quod Filius Dei non differt ab aliis filiis tamquam filius, sed tamquam Deus, si filiatio in Deo esset aliquid subsistens?

11. Idem docet Nazianzenus dicens adversus Eunomianos (Orat. theolog. III.): „At enim, inquiunt, non idem sunt *genitum* et *ingenitum*; ac proinde nec Filius cum Patre idem est. Quid opus est dicere, hoc argumento vel Patrem vel Filium a divinitate manifeste submoventi? Si enim *ingenitum* essentia Dei est, profecto *genitum* essentia non erit: aut si hoc, proculdubio non illud. Quis enim est qui contrarium disputando tueri queat? Quamobrem, utram e duabus impietatibus malis, elige, o nove theologe, siquidem impiam doctrinam omnino amplecti tibi propositum est. Si enim hoc argumento vel Pater vel Filius a divinitate manifeste submoventur, ergo ex oppositione proprietatum sequitur diversitas substantiae inter personas, si proprietas substantia est. Proprietates ergo, non personas, significat S. Doctor per *genitum* et *ingenitum*. Propterea dicit de proprietate *ingeniti*: „Ad haec, quomodo Dei essentiam dicis, non ejus quod est, positionem, sed ejus quod non est, detractionem? Vox enim *ingeniti* significat eum quidem generationis expertem esse, non autem declarat quidnam natura sua sit id quod generatione caret. Dum ergo negat S. Doctor *genitum* et *ingenitum* esse substantiam, loquitur de entitate personali sicut Eunomiani; et ex eo quod praefatae proprietates non sunt aliquid entitativum, concludit adversus eos quod non obstante oppositione proprietatum non sunt diversae substantiae Pater et Filius: de voce namque *ingeniti* dicit eam non significare id quod persona est, sed id quod non est, quatenus nempe significat negationem originis; de voce vero *geniti* dicit, non secus ac de voce *ingeniti*, impium esse tribuere illi significationem substantiae. Ex his etiam intelligitur quo sensu dixit Nazianzenus respondens ibidem Eunomianis circa eandem materiam: „Nec enim essentiae nomen est *Pater*, o viri acutissimi, nec actionis; sed relationem eam indicat quam Pater erga Filium habet, vel Filius erga Patrem. Ut enim apud nos haec nomina germanam quandam conjunctionem et necessitudinem declarant, ad eundem modum illic quoque Genitorem ac Genitum eandem naturam habere

significant“. Dicens nomen *Patris* non esse nomen essentiae nec actionis, significat *paternitatem* nec substantiam Patris esse, nec actum vitalem significare quo generatur Filius, aut generandi virtutem; ut ostendat adversus Eunomianos, non esse diversae substantiae Patrem et Filium propter oppositas proprietates paternitatis ac filiationis, et ut vera sit illa ipsius sententia quae Orat. theolog. V. continetur, videlicet: „Neque enim Filio aliquid deest, ad hoc ut sit Pater (nec enim defectus est filiatio), nec propterea tamen Pater est“. Nihil enim aliud haec sententia significat nisi quod Filio non deest id per quod vel quo Pater generat, nec generationis actus vitalis; et in eo dumtaxat positae sunt respective paternitas et filiatio, tamquam proprietates, quod Filius est persona quae procedit ab alia per generationem, et Pater est a quo procedit Filius. Vita namque in Deo non est composita ex potentia et actu, sed substantialis est operatio qua generatur Filius; substantialis autem vita Patris absque sui mutatione communicatur Filio. Propterea dicit S. Hilarius: „Non ingeni duo, quia natus est ab innato; alter ab altero nihil differens, quia vita viventis in vivo est“. Sicut ergo in homine, ita in Deo paternitas, juxta Nazianzenum, non est nisi merus respectus personae generantis ad personam genitam: nisi enim hoc significarent verba S. Doctoris, responsio ejus ad Eunomianos non esset ad rem, cum ipsi proprietatem personae divinae cum ejus substantia confundant. Itaque juxta Nazianzenum nec relatio nec origo constitutivum est personae divinae.

12. Ac de utraque idem sensit B. Augustinus, qui Epist. ad Maximum de Smae. Trinitatis mysterio ita eloquitur: „Haec Trinitas unius est ejusdemque naturae atque substantiae; non minor in singulis quam in omnibus, nec major in omnibus quam in singulis; sed tanta in solo Patre, vel in solo Filio, quanta in Patre simul et Filio; et tanta in solo Spiritu Sancto, quanta simul in Patre et Filio et Spiritu Sancto. Neque enim Pater, ut haberet Filium de seipso, minuit seipsum; sed ita genuit de se alterum se, ut totus maneret in se, et esset in Filio tantus quantus et solus. Similiter et Spiritus Sanctus integer de integro, non praecedit unde procedit, sed tantus cum illo quantus ex illo, nec minuit eum procedendo, nec auget haerendo. Et haec omnia nec confuse unum sunt, nec disjuncte tria sunt: sed cum sint unum, tria sunt: et cum sint tria, unum sunt. Proinde qui tam multis cordibus fidelium suorum donavit ut essent cor unum, quanto magis conservat in seipso ut sint haec tria et singula Deus, et simul omnia non tres dii, sed unus Deus? . . . Qui cum in rebus quae nascuntur in tempore, sua bonitate effecerit ut suae substantiae prolem quaelibet res gignat, sicut homo gignit hominem, non alterius naturae, sed ejus cujus ipse est; vide quam impie dicatur ipse non genuisse id

quod ipse est. Haec enim propinquitatis sunt nomina, non naturae; et ideo *ad aliquid*, vel relativa dicuntur; quae aliquando eadem sunt, aiquando diversa. Eadem scilicet, cum frater refertur ad fratrem, amicus ad amicum, vicinus ad vicinum, cognatus ad cognatum; et si qua similia, quae infinitum est velle omnia percurrere. In his enim quod est iste ad illum, hoc est ille ad istum. Diversa sunt autem, sicut pater ad filium, filius ad patrem, socer ad generum, gener ad socerum, dominus ad servum, servus ad dominum. Non est quidem hoc iste ad illum quod ille ad istum; sed ambo tamen homines sunt: relatio diversa est, non natura. Quoniam si attendas quid sit alter ad alterum, non est hoc ad illum iste quod ad istum ille; quia iste pater, ille filius; aut iste socer, ille gener; aut iste dominus, ille servus. Si autem attendas quid quisque sit ad seipsum, vel in seipso, hoc est ille quod iste; quia ille homo est sicut iste. Unde intelligit prudentia tua non ab eis rationabiliter dici, a quorum errore te Dominus liberavit, ideo Dei Patris et Dei Filii naturam esse diversam, quia iste Pater est, ille Filius; et Deum Patrem non genuisse id quod est ipse, quia non genuit Patrem Filii sui, quod est ad illum ipse. Quis enim non videat ista vocabula non in seipsis demonstrare naturas, sed alterius ad alterum significare personas? Per hanc ultimam periodum, non solum per allata exempla *domini* et *servi*, etc., facile intelligitur quo sensu dixit S. Doctor: „Haec enim propinquitatis sunt nomina, non naturae“. Cum enim natura divina, considerata ut realiter communis tribus personis, una numero sit; de vocabulis autem relativis dicat S. Doctor ea non in seipsis demonstrare *naturas* (in plurali), sed alterius ad alterum significare personas; manifestum est, nomine naturae in hoc loco personalem entitatem indicari; et consequenter phrasis illa, *Haec enim propinquitatis sunt nomina, non naturae*, hunc sensum habet: — vocabula ista non denotant quod in personis est, sed personas significant secundum relationem unius ad aliam, — vel, ut ait S. Doctor, non in seipsis naturas, id est, personales entitates, demonstrant, sed alterius ad alterum personas significant. Personae namque divinae, ut docet S. Basilius, denominantur ab extrinseco non secus atque humanae: imo divinae, cum nihil in se habeant per quod ab invicem differant, non nisi ab extrinseco denominari possunt. Quod igitur ad propinquitatem personarum pertinet, nempe, relatio, non pertinet, juxta S. Augustinum, ad personae naturam, id est, ad personalem entitatem. De propinquitatem enim dicit: „Quoniam si attendas quid sit alter ad alterum, non est ad illum iste quod ad istum ille; quia iste pater, ille filius“: de natura vero ait: „Si autem attendas quid quisque sit ad seipsum, vel in seipso, hoc est ille quod iste; quia ille homo est sicut iste“. Nam cum hoc exemplo utatur S. Doctor ad declarandum quid sit relatio in personis divinis, manifeste negat relationem pertinere ad

id quod persona est in seipsa. *In seipsa* inquam; quia non satis habet dicere: *quid quisque sit ad seipsum*; sed ad majorem claritatem addit: *vel in seipso*: et ex hac distinctione inter relationem et personam infert non esse diversae naturae Patrem et Filium; nam agnoscit res diversas esse paternitatem et filiationem. Et propterea attendendo ad id quod persona est, a paternitate et filiatione absolute praescindit dicens: „Si autem attendas quid quisque sit ad seipsum, vel in seipso, hoc est ille quod iste; quia ille homo est sicut iste“. Per quod significat Deum Patrem et Filium ejus, secundum id quod sunt, nihil differre; quia sive singuli, sive ambo simul, non sunt nisi Deus vel divina essentia. Quod confirmatur per ea quae ibidem de origine immediate subjungit dicens: „Tale est etiam illud quod simili loquuntur errore, ideo Filium alterius esse naturae, diversaeque substantiae, quia Pater Deus non est de altero Deo, Filius autem Deus est quidem, sed de Patre Deo: et hic enim non indicatur substantia, sed origo, id est, non quid sit, sed unde sit quisque vel non sit“. Si enim significando personae originem non indicatur quid persona sit, et idem juxta auctorem tenendum est de relatione; ergo relatio pariter non pertinet ad id quod persona est. Denique si aliud esset constitutivum personae Patris, aliud personae Filii, secundum intrinsecam differentiam, falsa esset sententia S. Doctoris dicentis quod Pater genuit id quod ipse est. Nam si per *id quod ipse est*, intelligatur persona, falsum est gigni alium Patrem, siquidem loquimur in suppositione quod constitutivum personae genitae proprietates ejus est, sive secundum relationem, sive secundum originem. Si vero per *id quod ipse est*, intelligatur natura, falsum quoque est naturam gigni, si non natura simpliciter, sed proprietates personam constituit; nam generationis terminus persona est. Gignit ergo Pater id quod ipse est, nec tamen gignit alium Patrem, quia *cum Pater est* (verba sunt S. Doctoris) *non illud est quod est*: vel quia unaquaeque persona, ut ait S. Anselmus, non est aliud quam summe simplex unitas et summe una simplicitas, quae nec multiplicari, nec aliud et aliud esse potest. Eatenus ergo Pater non gignit alium Patrem quatenus proprietates *Patris* in eo consistit quod alius per generationem procedit ab eo. Filio autem nihil deest ad hoc ut sit Pater: et ideo Pater non est quia divinitas ejus est eadem numero divinitas Patris: nam cum Filius uniceae generationis fructus existat, nequit generationis esse principium. Generaret autem et ipse alium filium, si qualis ex Patre natus est, esset Deus distinctus ab eo. Itaque Pater, quamvis non gignit se, gignit tamen alterum se; quia nihil est in quo personae inter se differant, sed sola distinctio numerica est inter eas; nam id quod unum et simplex est, et multiplicari non potest, nempe, divina essentia, constitutivum est earum, quippe quae per sui communicationem subsistit in tribus existentibus realiter distinctis. Atque ita fit ut unum et idem sit simul unum

et tria, quamvis non secundum idem. Est enim unum sub ratione essentiae communicatae: est vero tria secundum distinctionem principii ac termini communicationis. Nec tria sunt unum confuse, cum personae sint realiter distinctae: nec unum est tria disjuncte, cum tres personae non sint tres dii, sed unus Deus.

13. Doctrina ergo est SS. Patrum, quod persona divina non est aliud quam divina essentia in aliqua ex tribus incommunicabilibus existentibus ejus: et consequenter, cum legitur apud Patres quod proprietas personae divinae est character quo persona dignoscitur, aut quid simile, nomine characteris non est intelligendum aliquid existens vel subsistens in persona divina, sed conceptus mentis nostrae cum fundamento in re: sicut enim omnia praedicamenta realia sunt, et nihilominus quaedam ex eis, ut docet Boëtius, non praedicantur tamquam aliquid entitativum; similiter proprietates divinarum personarum reales sunt, quoniam realiter a Patre procedit Filius, et ab utroque Spiritus, et nihilominus quamvis proprietas repraesentatur in mente nostra tamquam forma vel character personae, non tamen est a parte rei aliquid entitativum. Haec tamen intelligenda sunt de proprietatibus relativis, de quibus dicit S. Cyrillus: „Proprietates circa personas, non ipsae personae sunt“: nam proprietates absolutae personas constituunt, sunt enim entitates personales, seu existentiae incommunicabiles divinae essentiae; de quibus proinde dici nequit quod nihil entitatis sunt. Proprietates autem istae duo singulae involvunt, essentiam nempe ac singularem modum existendi essentiae ipsius, qui in eo consistit quod essentia existit in principio aut in termino communicationis suae primae vel secundae. Unde patet solam essentiam esse cujusque personae constitutivum, quamvis non ut essentiam simpliciter, sed ut consideratam in existentia incommunicabili; nam id quod est principium, communicatur termino, sed non communicatur existentia principii. Character ergo cujusque personae proprius, respectu mentis nostrae, ratio est *principii* vel *termini* communicationis primae vel secundae: proprietas autem absoluta cujusque personae a parte rei, incommunicabilis existentia sua. Quod ergo existit in unaquaque persona, sola essentia est: et proinde ipsa per se tres personas constituit: unde fit ut et personae realiter distinguantur secundum incommunicabilem existentiam, et omnino unum idemque sint ob unitatem essentiae. Et hoc est quod significat Nazianzenus Orat. theolog. III., ubi docet, proprietatibus *geniti* et *ingeniti* distinguere Filium et Patrem, in reliquis vero idem esse: ait enim: „*Quid per ingenitum ac genitum intelligis? Si ipsam ingeniti et geniti, proprietatem, non idem sunt. Sin autem ea quibus haec insunt, quid vetat quominus idem sint?*“ Ad quod intelligendum distinguere necesse est in personis causam distinctionis earum efficientem et formalem. S. Doctor non loquitur in transcriptis verbis de causa

efficiente, sed de formali. Loquendo enim de causa efficiente, id est, de generatione, proprietates quae ad invicem opponuntur, et per quas personae distinguuntur, non sunt *genitus* et *ingenitus*, sed *genitus* et *genitor*: ergo distinctio secundum *genitum* et *ingenitum* nequit intelligi nisi secundum causam formalem. Jam vero causa formalis non est proprietas relativa, tum quia *ingenitus*, ut proprietas relativa, non est nisi negatio originis, (de qua proprietate dicit Nazianzenus ibid.: „Ad haec, quomodo Dei essentiam dicis, non ejus quod est, positionem, sed ejus quod non est, detractionem? Vox enim *ingeniti* significat eum quidem generationis expertem esse, non autem declarat quidnam natura sua sit id quod generatione caret“), — mera autem negatio nequit esse distinctionis causa formalis; tum etiam quia si causa formalis consisteret in proprietate relativa, non distinguerentur Pater et Filius, secundum causam formalem, ut *ingenitus* et *genitus*, sed ut *genitor* et *genitus*, quae sunt proprietates relativae inter se oppositae secundum relationem ipsam. Ergo distinctio secundum *genitum* et *ingenitum* est distinctio secundum proprietates absolutas, id est, secundum existentiam propriam et incommunicabilem cujusque personae: nomina enim *geniti* et *ingeniti* significant diversos modos habendi existentiam divinae essentiae, quatenus *ingenitus* est a se, *genitus* vero ab alio. Unde jam patet quomodo interpretandus sit Nazianzenus dicens: „Quid per *ingenitum* ac *genitum* intelligis? Si ipsam *ingeniti* et *geniti* proprietatem, non idem sunt. Sin autem ea quibus haec insunt, quid vetat quominus idem sint?“ Nimirum, *genitus* et *ingenitus* non idem sunt secundum existentiam cujusque incommunicabilem, quia alter est a se, alter ab alio; sed secundum id quod sunt ita existentes, non distinguuntur. Ecce cur dicit idem auctor quod innascibilitas est proprietas Patris characteristica: et similiter SS. Patres Hilarius, Cyrillus et Damascenus, quod Filius quoad omnia similis est Patri, excepta *ingeniti* proprietate. Distinctio igitur causae efficientis et formalis distinctionis personarum necessaria est. Nam sublata operatione productiva, quae causa efficiens est, non esset in Deo pluralitas personarum, sed sola unitas essentiae, ut est manifestum: sed per illud etiam unaquaeque persona ab alia distinguitur per quod in propria personalitate constituitur; et hoc est distinctionis causa formalis. (In alia dissertatione super eodem SS. Trinitatis mysterio dixi quod distinctionis personarum causam formalem ignoramus, sed in eo sensu quod si intelligeremus quomodo possint tres personae in una essentia subsistere, mysterium SS. Trinitatis, facta revelatione, mysterium esse desineret.) Quamvis autem distinctionis causa formalis quae est personae constitutum, revera existit, ejusdemque non minus quam efficientis, qui nemo non videt, ratio habenda est: non tamen male loquuntur qui solius efficientis mentionem faciunt, nam formalis ad efficientem quodammodo revocatur.

Considerandum est enim personas divinas non esse tres essentias nec specificè nec numerice distinctas, sed omnes unam essentiam esse, nec quidquam aliquam ex eis habere quod non omnes habeant; unde fit ut sola communicatio unius essentiae ratio esse possit pluralitatis vel distinctionis personarum. Jam vero communicatio essentiae et productio vel processio personae unum et idem sunt: qui autem operationem productivam enuntiat, quae pluralitatis est causa efficiens, eo ipso entitates personales significat, quae productionis sunt principium et terminus, et in quibus distinctionis personarum causa formalis posita est. Recte ergo dicit e. g. S. Anselmus, quod Filius non per aliud est a Patre alius quam per hoc, quia de illo existit. Filius ergo ideo est *haec* persona, distincta a persona Patris, quia per generationem productus est: Pater autem non ideo est *haec* persona quia generavit Filium; nam esse *hanc* personam in producente praesupponitur productioni. Unde sequitur causam formalem distinctionis in personis productis pendere a causa efficiente; non ita vero in persona improducta. Et hic rursus Nazianzeni sententia commendatur, dicentis quod innascibilitas est proprietas Patris characteristicam. In hac proprietate distinguere oportet negationem originis, et existendi modum proprium Patris. Secundum negationem originis dicit de hac proprietate idem Nazianzenus: „Quomodo Dei essentiam dicis, non ejus quod est, positionem, sed ejus quod non est, detractionem? Vox enim *ingeniti* significat eum quidem generationis expertem esse, non autem declarat quidnam natura sua sit id quod generatione caret“. Non ergo secundum hanc meram negationem innascibilitas praecipua est proprietatum Patris, sed secundum existendi modum Patris proprium, qui in eo consistit, quod existentia Patris praesupponitur operationi productivae, cum personae reliquae non existant nisi consequentur a productione. Ideo solam innascibilitatem Patres excipiunt, dum Filium Patri quoad omnia similem esse asserunt: non enim innascibilitatem, sed paternitatem exciperent, si proprietatem illam intelligerent ut relativa est, seu secundum exclusionem alterius personae a qua Pater procedat; tum quia sic accepta innascibilitas mera negatio est, paternitas autem est proprietas positiva; tum etiam quia Filius non distinguitur a Patre ut ingenito, sed ut genitore, si ad proprietates relativas attendamus, vel ad solam causam efficientem distinctionis personarum. Innascibilitatem ergo Patres excipiunt quatenus includit proprietatem Patris absolutam, existentiam nimirum incommunicabilem et improductam, quae a reliquarum personarum proprietatibus absolutis in eo differt quod istae productae sunt. Propterea S. Cyrillus (Lib. de Trin., cap. VIII.) de Filio ac de Spiritu Sancto indifferenter dicit quod omnia habent quae Patris sunt, excepta *ingeniti* proprietate: per quod ostenditur eum non loqui in hac sententia de innascibilitate

ut proprietates relativa vel negativa est; nam quoad proprietates relativas aliter se habet ad Patrem Filius, aliter Spiritus Sanctus: praeterquam quod ipse ibidem dicit quod proprietates *ingeniti* existentiae modum significat; quod etiam asserit S. Basilius (Lib. IV. adversus Eunomium) dicens: „*Ingenitus* igitur existendi est modus“. Dixi autem quod Filius non distinguitur a Patre ut ingenito, sed ut genitore, si ad proprietates relativas attendamus vel ad solam causam efficientem distinctionis personarum, quia revera Filius eatenus est *haec* persona a persona Patris distincta, quatenus a Patre genitus est; et sub hoc respectu Pater quoque non distinguitur a Filio ut ingenitus, sed ut genitor. At Pater non ideo est *haec* persona quia generat Filium, sed esse *hanc* personam in eo praesupponitur operationi productivae: unde attendendo ad proprietates absolutas seu constituentes personas, id est, ad incommunicabiles existentias divinae essentiae, recte dicitur quod Pater distinguitur a Filio et Spiritu Sancto per proprietatem *ingeniti*. Hoc significat S. Cyrillus, simulque identitatem absolutam personarum, salva distinctione numerica, Lib. de Trin. cap. 10, his verbis: „Quippe unaquaeque ad alteram non minus quam ad se ipsam se habet, hoc est, quod unum idemque sunt per omnia Pater et Filius et Spiritus Sanctus: praeterquam quod Pater est ingenitus, Filius genitus, Spiritus Sanctus procedens“. Recte ergo dicit Richardus, Lib. VI. de Trin., cap. XXII., quod *nihil aliud est Patris persona quam substantia ingenita*; et Lib. IV., cap. XXII., quod persona divina est *naturae divinae incommunicabilis existentia*. Et jam ex elucubratis de doctrina Patrum liquido patet cur ipsis familiare fuerit nominibus neutris uti vel abstractis ad significandas personas. S. Anselmus v. g. in Monologio cap. XLIII. dicit quod Filius est essentia nata de Patris essentia. Similiter S. Fulgentius (Lib. de Fide ad Petrum, n. 14). „Illa enim, inquit, natura quae semper genita manet ex Patre, naturam nostram sine peccato suscepit, ut nasceretur ex Virgine“. Eumdem loquendi modum reperies apud S. Hilarium, qui Lib. de Synodis, n. 58, ait: „Nec dissimilem sui edidit natura naturam“. Et n. 60: „Respuit innascibilem Filium praedicari fides sancta: ut per unum innascibilem Deum unum Deum praedicet: ut naturam unigenitam, ex innascibili genitam essentia, in uno innascibilis Dei nomine complectatur“. Et S. Athanasius pariter nomine substantiae significat personam Patris dicens (Orat. IV. contra Arian., n. 1): „Porro quemadmodum unum est principium, et proinde unus Deus: ita quae verissime est essentia et substantia, una est quae dicit: *Ego sum qui sum*; non autem duae, ne scilicet duo sint principia. Ex una autem illa substantia existit natura et vere Filius, Verbum, sapientia, propriaque ejus virtus, nec ab ea separabilis“. Merito igitur scribit Richardus (Lib. IV. de Trin., cap. XIX.): „Timentes

itaque ubi non est timor, recte timerent fateri personas secundum substantiam dici, si persona simpliciter substantiale esse significaret, nec aliquid consignificaret. Significat autem habentem substantiale esse ex aliqua singulari proprietate. Ideo ergo fidenter fatemur personas in divinitate secundum substantiam dictas, et substantiam significare, et plures ibi personas, non plures substantias esse. Quia sunt ibi plures habentes unum et indifferens esse ex differenti proprietate: unitas itaque ibi est juxta modum essendi, pluralitas juxta modum existendi. Unitas essentiae, quia unum et indifferens esse; plures personae, quia plures existentiae“. Id est, plures existentiae incommunicabiles unius essentiae communicatae constituunt personas Trinitatis: et ipsae existentiae quatenus incommunicabiles sunt, vocari possunt *proprietates personarum*; quatenus vero personas ipsas constituunt, *proprietates absolutae* dici possunt, per oppositionem nempe ad proprietates relativas, de quibus S. Cyrillus scripsit: „Proprietates circa personas, non ipsae personae sunt“. Falluntur ergo qui opinantur, in Trinitate non esse proprietates absolutas, sed tantummodo relativas; et inde inferunt relativas esse constituentes personas.

14. Quod autem attinet distinctionem personarum in mente nostra, notio personae divinae constat ex conceptu essentiae et conceptu proprietatis. Haec, inquam, compositio in mente nostra tantum existit, quamvis non sine fundamento in re. Audiamus circa hoc S. Basilium. „Quod si quispiam, inquit, id quod verum est, *genitum* et *ingenitum* vult esse indices quasdam proprietates, quae in substantia considerentur, quaeque ad claram ac inconfusam Patris et Filii notionem quasi manu ducant, is et impietatis periculum effugiet, et ratiocinationis consequutionem tuebitur. Nam proprietates quae veluti quidam characteres ac formae in substantia considerantur, id quod commune est, distinguunt quidem propriis characteribus; at substantiae communitatem non dirimunt. Exempli causa, deitas communis est, proprietates vero sunt paternitas et filiatio. Ex utriusque autem complexu, tum communis, tum proprii, innascitur nobis comprehensio veritatis. Proinde cum *ingenitam lucem* audimus, Patrem intelligimus: cum vero *genitam lucem*, Filii accipimus notionem. Nam quatenus quidem lux et lux sunt, nulla est in eis contrarietas: quatenus vero *genitum* et *ingenitum*, apparet oppositio“. (Lib. II. adv. Eunom., n. 28). De proprietatibus *geniti* et *ingeniti* idem dicit ac Nazianzenus. Nam de voce *ingeniti* ait Lib. I., n. 10: „Quod autem nihil eorum quae in Deo insunt, significet *ingeniti* vox, ex jam dictis satis declaratum esse puto. At substantia non est quidquam eorum quae non adsunt; sed est ipsum esse Dei, quod inter ea quae non sunt, annumerare, summae amentiae est . . . Demonstratum est autem *ingeniti* vocem inter ea quae non adsunt, numerari; mendax est igitur qui hac voce substantiam

significari putat“. Quis non videat, his verbis S. Doctorem substantiam a proprietate distinguere tamquam entitativum a non entitativo? Si ergo cum *ingenitam lucem* audimus, ut ipse ait, Patrem intelligimus, *lux* significat id quod est persona Patris; *ingenita* vero modum existendi proprium Patris, id est, quod Pater non est lux ex communicatione alterius personae, sed a seipso. Distinguitur ergo persona Patris per notionem *lucis*, vel, quod idem est, *substantiae*, et notionem *existentiae improductae*: et consequenter phrasis S. Basilii de qua agimus, aequivalet sententiae illi Richardi, quod scilicet nihil aliud est persona Patris quam substantia ingenita. Ideo dicit S. Doctor quod secundum id quod sunt Pater et Filius, non est distinctio inter eos, id est, quatenus lux et lux sunt: quodque in eo posita est distinctionis ratio, quod alter est lux improducta, alter vero lux communicata. *Communicata* dixi, non *producta*, attendendo ad rationem *lucis*; non enim sunt duae luces Pater et Filius, sed una lux: quatenus vero una et eadem lux existit in principio et in termino communicationis suae, qui a principio distinguitur, Filius vocatur a S. Doctore *lux genita*, quod idem est ac *lux producta*, secundum existentiam quam lux habet in termino, distinctam ab existentia principii. Idem quippe sunt, secundum rei veritatem, communicatio substantiae et productio personae; quamvis secundum dictionis proprietatem *produci* de persona dicitur, id est, de substantiae existentia incommunicabili, non de substantia. Significat ergo S. Doctor per *genitum* et *ingenitum* proprietates absolutas, id est, existentias incommunicabiles, et per eas Patrem et Filium distingui affirmat. Verumtamen idem asserit de paternitate ac filiatione, quae proprietates relativae sunt: neque explicat quomodo per has Pater et Filius distinguantur, et quomodo per illas. Ideo autem explicationem istam omittit, quia necessaria non est ubi sermo fit de modo vel medio distinguendi personas in mente nostra: ad talem quippe distinctionem satis est notioni substantiae aliquam proprietatem adjungere, sive ex absolutis ista sit, sive ex relativis: nam ad repraesentandam in mente v. g. personam Patris, sufficit substantiam divinam cogitare et vel existentiam improductam, quam significat nomen *ingeniti*, vel proprietatem *patris*, vel etiam proprietatem *principii*. Nihilominus tamen considerandum est in personis procedentibus quod proprietates earum absoluta pendet a relativa, id est, ab operatione productiva; nec licet ab hac dependentia praescindere in cogitatione mentis, ne tres personas cogitemus tamquam tres distinctas essentias, vel tamquam tres partes unius essentiae, id est, ne alii causae tribuatur pluralitas personarum quam communicationi unius et ejusdem essentiae; unde fit ut non possimus in aliqua ex personis procedentibus *hanc* existentiam cogitare nisi cogitando simul rationem *termini* communicationis vel operationis productivae. Quamvis ergo

proprietas absoluta, ut supra dixi, sufficit per se ad determinandam aliquam ex personis in mente nostra, quatenus *hanc* divinae substantiae existentiam cogitamus, et non aliam; in personis tamen procedentibus non potest cogitari proprietas absoluta sine relativa, quia non concipitur in illis propria et incommunicabilis existentia nisi sub ratione termini communicationis divinae substantiae. In persona vero improducta duae sunt proprietates relativae, *principium* nempe et *pater*, quae habent rationem principii, altera relate ad duas personas procedentes, altera ad Filium tantum: proprietas vero *inginitus*, ut relativa est, habet rationem termini, sed in sensu negativo; et eo ipso quod per nomen *inginitus* removetur ab hac persona ratio termini, non potest persona ipsa secundum talem proprietatem repraesentari in mente ut terminus. Cum igitur proprietas relativa intelligatur secundum rationem principii vel secundum rationem termini, persona autem improducta secundum proprietatem *inginiti* nec principium sit nec terminus; patet quod nomen *inginitus* nihil potest significare positivi nisi proprietatem absolutam, id est, modum existendi seu existentiam improductam. Jam vero persona non debet determinari atque dignosci per id quod non est, sed per id quod est: ergo si proprietas *inginiti* sufficit ad determinandam ac dignoscendam personam primam, vel si, ut ait S. Basilius, cum *inginitam lucem* audimus, Patrem intelligimus; persona haec determinatur atque dignoscitur per proprietatem absolutam, quin isti adungere necesse sit aliquam relativam ex positivis; et in hoc differt haec persona a reliquis, in quibus propria cujusque existentia nequit determinari nisi sub ratione termini generationis vel spirationis. Nihilominus, etsi existentia personae primae non pendet ab operatione productiva, sed praesupponitur ei; si per impossibile non daretur productio intra Deum, personam hanc, quae in hypothesis esset unica, non modo non vocarem *Patrem*, sed nec diceremus *inginitam*. Nam *esse a se* in Patre non est proprietas secundum independentiam ab alio ente, quae communis est tribus personis; sed secundum exclusionem alterius personae divinae a qua Pater procedat: talem autem exclusionem dicere aut cogitare, sublata pluralitate personarum, opus non esset; ideo enim personam Patris dicimus non procedere, quia personae reliquae procedunt; personarum quippe nomina propria ad hoc adhibentur, ut personas inter se distinguamus; et consequenter, sublata personarum pluralitate in Deo, ab iis tantum Deus denominaretur, tamquam proprietatibus, per quae Deum ipsum a creaturis distinguimus. Deinde considerandum est circa proprietatem *inginiti*, quod S. Basilius dicit de ipsa sicut de proprietatibus reliquis, quod veluti character ac forma quae in substantia consideratur, id quod commune est, distinguit: per quod ostenditur quid significet ipse nomine characteris vel formae. Cum enim juxta S. Doctorem

nihil eorum quae in Deo insunt, significet *ingeniti* vox, patet quod nomine *characteris* vel *formae* non significat aliquid existens in persona divina; sed conceptum mentis nostrae; quamvis proprietas realis est, et a mente nostra independens; nam realiter Pater habet existentiam a seipso seu improductam. Praeterquam quod dicit de proprietatibus quod ad claram et inconfusam personarum notionem quasi manu ducunt, et quod ex complexu communis et proprii, substantiae nimirum et proprietatis, innascitur nobis comprehensio veritatis; quibus locutionibus significatur, de conceptibus mentis nostrae sermonem fieri. Quod confirmatur per ea quae S. Doctor n. 4 ejusdem libri de proprietatibus disserit, quaeque n. 9 dissertationis hujus exposuimus: ibi enim nomine *characteris* significat merum personae respectum ad aliquid extrinsecum, ipsumque respectum *proprietaem* vocat; de proprietatibus autem dicit quod eas cogitatione depingimus. Complexus igitur communis et proprii, loquendo de divina substantia et personali proprietate, in mente nostra tantum existit, non modo ratione divinae simplicitatis, sed etiam quia nihil est in persona divina, praeter divinam substantiam, quod *in sensu formali* sumptum, sit personae constitutum: divina autem substantia unamquamque personam per se constituit ut existens in principio vel in termino communicationis suae primae vel secundae; ac talis existendi modus, qui nihil est entitativum in persona ipsa, concipitur a nobis tamquam forma vel character quo unamquamque personam dignoscimus et ab aliis distinguimus, distinctione quidem numerica et secundum ordirem divinarum processionum. In hoc etiam sensu S. Cyrillus, ut ex doctrina ejus, quam n. 3 exposuimus, evidenter inferitur, nomen characteris usurpavit dicens (Lib. de Trin., cap. 9): „Propter Patrem, hoc est, quod Pater habet, Filius et Spiritus Sanctus habent, quidquid habent, exceptis ingeniti et geniti et processionis proprietatibus. In his enim solis hypostaticis proprietatibus sacrosanctae tres hypostases differunt, non essentia sed peculiaris hypostaseos caractere et nota citra divisionem discretae“. Porro de proprietate *ingeniti* haec habet Dialog. lib. II.: „Itaque *ingenitum* substantia quidem Dei minime est; significat autem, ut dixi, solum, non genitum esse Patrem; et non est per se subsistens“.

15. Quamvis mens S. Augustini circa hanc quam versamus materiam, ex dictis nn. 7 et 12 satis constat, nolumus tamen praeter libri sui VII. de Trinitate argumentum, quod maxime pertinet ad propositum dissertationis nostrae. Sic ergo ibi disserit S. Doctor cap. II.: „Pater igitur et Filius simul una essentia, et una magnitudo, et una veritas, et una sapientia. Sed non Pater et Filius simul ambo unum Verbum, quia non simul ambo unus Filius. Sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad se ipsum dicitur; ita et Verbum ad eum cujus Verbum est, refertur, cum dicitur Verbum. Eo quippe

Filius quó Verbum, et eo Verbum quo Filius. Quoniam igitur Pater et Filius simul non utique unus Filius, consequens est ut Pater et Filius simul non amborum unum Verbum. Et propterea non eo Verbum quo sapientia; quia Verbum non ad se dicitur, sed tantum relative ad eum cujus Verbum est, sicut Filius ad Patrem: sapientia vero eo quó essentia. Et ideo quia una essentia, una sapientia. Quoniam vero et Verbum sapientia est, sed non eo Verbum quo sapientia; Verbum enim relative, sapientia essentialiter intelligitur; id dici accipiamus cum dicitur Verbum, ac si dicatur nata sapientia, ut sit et Filius et imago. Et haec duo cum dicuntur, id est, *nata sapientia*, in uno eorum eo quod est *nata*, et Verbum, et imago, et Filius intelligatur, et in his omnibus nominibus non ostendatur essentia, quia relative dicuntur: at in altero quod est *sapientia*, quoniam et ad se dicitur, se ipsa enim sapiens est, etiam essentia demonstratur, et hoc ejus esse quod sapere. Unde Pater et Filius simul una sapientia, quia una essentia, et singillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia. Quapropter, non quia Pater non est Filius, et Filius non est Pater, aut ille ingenitus, ille autem genitus, ideo non una essentia: quia his nominibus relativa eorum ostenduntur. Uterque autem simul una sapientia, et una essentia, ubi hoc est esse quod sapere: non autem simul uterque Verbum aut Filius, quia non hoc est esse quod Verbum aut Filium esse: sicut jam satis ostendimus ista relative dici. Haec dicit de divina sapientia S. Doctor, postquam inquisivit cap. I. ejusdem libri quomodo intelligendum sit Filium esse sapientiam Patris: ubi ostendit absurdum esse, ita Filium esse sapientiam Patris, ut Pater non per se intelligat, sed per Filium: nam in hac hypothese dicendum esset, aut Filium esse accidens Patris, quia per generationem Filii sapientiam qua carebat, acquireret; aut si sapientia quae Filius est, substantialis est, Patrem gignendo Filium gignere substantiam suam; utrumque autem non minus stultum quam impium est. Sua ergo sapientia sapiens est Pater, et sua pariter Filius; et una nihilominus est sapientia Patris et Filii, cum una sit utriusque substantia. Nec sapientia Patris dicitur Filius, eo quod una sit sapientia Patris et Filii: nam sub hoc respectu posset indifferenter dici etiam Pater sapientia Filii. Neque in eo, quod sapientiam Pater communicat Filio, fundatur appellatio ipsa; quippe quae denotat aliquid proprium Filii; sapientiam autem, sicut omnem perfectionem, communicat Pater Spiritui Sancto non secus ac Filio. Restat igitur ut in eo sensu dicatur Filius sapientia Patris in quo sapientia dicit de seipsa: „Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam“, ut in alia dissertatione de Trinitate demonstravi. In sola namque generatione Filii sapientia prodit ex ore Altissimi; quoniam hoc est Filium generare quod est sapientiam exprimere, seu Verbi generatione semetipsum dicere. Itaque sapientia Patris

est Filius, quia est sapientia expressa, seu Verbum genitum expressione sapientiae, quo Pater dicit quod de se intelligit. Ideo dicit S. Doctor, non eo Patrem esse sapientem quo est dicens: nam dicens est Verbo; sapiens autem sapientia sua: et consequenter in Patre distinguit inter esse et patrem esse, seu inter relationem et essentiam, dicens absolute seu absque ulla distinctione relationem non esse personae essentiam; sed utique sapientiam et essentiam identificari. Quae cum brevius capite secundo quam primo exponantur et clarius, ideo textum capitis primi non transcribimus, exceptis quae sequuntur. „Huc accedit, inquit, quod omnis essentia quae relative dicitur, est etiam aliquid excepto relativo: sicut homo dominus, et homo servus, et equus jumentum, et nummus arrha, homo et equus et nummus ad se dicuntur, et substantiae sunt vel essentiae; dominus vero et servus et jumentum et arrha, ad aliquid relative dicuntur. Sed si non esset homo, id est, aliqua substantia, non esset qui relative dominus diceretur: et si non esset equus quaedam essentia, non esset quod jumentum relative diceretur: ita si nummus non esset aliqua substantia, nec arrha posset relative dici. Quapropter si et Pater non est aliquid ad se ipsum, non est omnino qui relative dicatur ad aliquid“. Quis non videat, hic nomine essentiae significari suppositum de quo relatio praedicatur? Sicut ergo homo dominus non est id quod est, in quantum est dominus, sed in quantum est homo; ita Deus Pater non est id quod est, in quantum est Pater, sed in quantum est Deus. Cum enim distinguat S. Doctor essentiam a relatione tanquam entitativum a non entitativo, ideo nomine essentiae significat essentiam constituentem suppositum, quia relatio praesupponit existentiam vel entitatem rei quae ad aliam refertur. Et incipiamus jam expositionem capitis secundi. „Pater igitur et Filius, inquit, simul una essentia, et una magnitudo, et una veritas, et una sapientia. Sed non Pater et Filius simul ambo unum Verbum, quia non simul ambo unus Filius“. Et hujus differentiae inter *Verbum* et *sapientiam* rationem praebet dicens: „Sicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad se ipsum dicitur; ita et Verbum ad eum cujus Verbum est, refertur, cum dicitur Verbum. Eo quippe Filius quo Verbum, et eo Verbum quo Filius. Quoniam igitur Pater et Filius simul non utique unus Filius, consequens est ut Pater et Filius simul non amborum unum Verbum“. Per quae significatur quod esse verbum non est commune Patri et Filio, sed proprium Filii, sicut esse filium; et consequenter aliud est esse Verbum, aliud esse sapientiam, quia Pater et Filius sunt ambo una sapientia, non ambo unum Verbum. Dicuntur ergo distingui Pater et Filius, non tanquam sapientia et sapientia, vel essentia et essentia, sed tanquam pater et filius. Videamus autem quomodo juxta S. Augustinum distinguuntur tanquam pater et filius; an scilicet ratio distinctionis sint paternitas et filiatio tam-

quam formae constituentes personas, vel sola processio unius personae ab alia. „Et propterea, inquit, non eo Verbum quo sapientia; quia Verbum non ad se dicitur, sed tantum relative ad eum cujus Verbum est, sicut Filius ad Patrem: sapientia vero eo quo essentia. Et ideo quia una essentia, una sapientia“. Id est, Verbum non dicitur verbum secundum id quod in se est, sed secundum respectum ad eum cujus verbum est: et ideo non eo est verbum quo est sapientia; sapientia enim est ipsa Verbi essentia. Cum igitur Verbum non distinguatur a Patre secundum id quod est, sed secundum quod ab eo procedit, inde est quod Pater et Verbum una sapientia vel essentia sunt, non autem unum Verbum. Ita sane se explicat S. Doctor dicens: „Quoniam vero et Verbum sapientia est, sed non eo Verbum quo sapientia; Verbum enim relative, sapientia essentialiter intelligitur: id dici accipiamus cum dicitur Verbum, ac si dicatur, nata sapientia, ut sit et Filius et imago. Et haec duo cum dicuntur, id est, *nata sapientia*, in uno eorum eo quod est *nata*, et Verbum, et imago, et Filius intelligatur, et in his omnibus nominibus non ostendatur essentia, quia relative dicuntur: at in altero quod est *sapientia*, quoniam et ad se dicitur, se ipsa enim sapiens est, etiam essentia demonstretur, et hoc ejus esse quod sapere. Unde Pater et Filius simul una sapientia, quia una essentia, et singillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia“. Non ergo distinguuntur Pater et Filius tamquam sapientia et sapientia, vel essentia et essentia, siquidem una sapientia ambo sunt et una essentia; sed utique distinguuntur tamquam sapientia de sapientia, vel essentia de essentia, ut ait S. Anselmus in Monologio, cap. XLIII.: „Est autem, inquit, perfecte summa essentia Pater, et perfecte summa essentia Filius: pariter ergo perfectus Pater per se est, et pariter perfectus Filius per se est, sicut uterque sapit per se. Non enim idcirco minus perfecta est essentia vel sapientia Filius, quia est essentia nata de Patris essentia, et sapientia de sapientia: sed tunc minus perfecta essentia vel sapientia esset, si non esset per se, aut non saperet per se“. Similiter in Tract. de Processione Spiritus Sancti, cap. II., personam divinam significat nomine substantiae dicens: „Et quando substantia habet esse de substantia, duae fiunt ibi relationes insociabiles, si secundum illas nomina ponantur substantiae“. Duo enim in Verbo juxta S. Augustinum consideranda sunt; quod scilicet verbum est, et quod sapientia est: nec eo verbum est quo sapientia. Quare? Quia *verbum* relative, *sapientia* essentialiter intelligitur; seu quia *verbum* non ad se dicitur, sed tantum relative ad eum cujus verbum est; sapientia vero est idem cum essentia. Id est, cum Filius sit sapientia secundum id quod in se est, verbum autem non sit nisi secundum suam relationem ad Patrem; ideo non eo verbum est quo sapientia: et ideo rursus secundum sapientiam Pater et Filius unum sunt, quia sapientia

pertinet ad id quod persona est; non autem secundum rationem verbi unum esse possunt, quoniam qui ab alio est, nequit esse illè a quo est. Propterea dicit S. Doctor Verbum esse natam sapientiam, ita ut in eo quod est *nata*, intelligatur ratio verbi, et filii, et imaginis, seu processio ejus a principio; in eo autem quod est *sapientia*, intelligatur id quod Verbum est, seu Verbi essentia, quoniam hoc est Verbo esse quod sapere. Et inde concludit, significando quod est entitativum in personis, quod Pater et Filius simul una sapientia sunt, quia sunt una essentia; et quod singillatim sunt sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia. Et hoc est quod docet S. Anselmus in Prosolog. cap. XXIII., dum dicit: „Quod autem est singulus quisque, hoc est tota Trinitas simul, Pater et Filius et Spiritus Sanctus; quoniam singulus quisque non est aliud quam summe simplex unitas, et summe una simplicitas, quae nec multiplicari, nec aliud et aliud esse potest“. Quod ergo singulas personas constituit, id ipsum est quod unum est in divinitate, nempe, divina essentia: nec tamen essentia multiplicatur, sed communicatur; et ipsa in principio et in termino communicationis habet nomen personae; atque ita fit ut manente unitate essentiae, multiplicentur personae, quia principium et terminus communicationis realiter distincta sunt. Ideo S. Augustinus caput II. lib. VII. ita concludit: „Quapropter non quia Pater non est Filius, et Filius non est Pater, aut ille ingenuus, ille autem genitus, ideo non una essentia: quia his nominibus relativa eorum ostenduntur. Uterque autem simul una sapientia, et una essentia, ubi hoc est esse quod sapere: non autem simul uterque Verbum aut Filius, quia non hoc est esse quod Verbum aut Filium esse: sicut jam satis ostendimus ista relative dici“. Quoniam igitur hoc est esse quod sapere, non autem hoc est esse quod Verbum aut Filium esse; ideo Verbum non est id quod est, quatenus verbum est, sed quatenus sapiens est: nam *sapiens* dicitur ad se, *verbum* autem non nisi relative ad Patrem. Et eadem ratione dicit S. Doctor in expositione Psalmi LXVIII., n. 5: „Quidquid est Pater quod Deus est, hoc Filius, hoc Spiritus Sanctus. Cum autem Pater est, non illud est quod est. Pater enim non ad se, sed ad Filium dicitur: ad se autem Deus dicitur. Itaque eo quod Deus est, hoc ipso substantia est. Et quia ejusdem substantiae Filius, proculdubio et Filius Deus. At vero quod Pater est, quia non substantiae nomen est, sed refertur ad Filium; non sic dicimus Filium Patrem esse, quomodo dicimus Filium Deum esse. Quaeris quid sit Pater: respondetur, Deus. Quaeris quid sit Filius: respondetur, Deus. Quaeris quid sit Pater et Filius: respondetur, Deus“. Nam quum dicit: „Cum autem Pater est, non illud est quod est“, negat paternitatem esse personalem entitatem Patris. Deinde rationem hujus sententiae afferens, „Pater enim, inquit, non ad se, sed ad Filium dicitur: ad se autem Deus dicitur“: per quod ostendit quo sensu

utatur phrasibus, *ad se dicitur et ad alium dicitur*. Quid enim ad hoc respondebunt qui distinguunt in relatione *ad* et *in*, seu respectum ad aliquid et realem entitatem? Quia Pater, inquit S. Doctor, non ad se dicitur, sed ad Filium, ideo paternitas non est entitas Patris: ergo in relatione non admittit nisi respectum ad aliquid. Similiter ex praefata sententia patet, quo sensu dicat S. Doctor quod *Pater* non est nomen substantiae. Distinguit enim inter Patrem esse et Deum esse, et ait: „Itaque eo quod Deus est (Pater), hoc ipso substantia est. Et quia ejusdem substantiae Filius, proculdubio et Filius Deus. At vero quod Pater est, quia non substantiae nomen est, sed refertur ad Filium“; etc. Deus ergo est nomen substantiae, non *Pater*; quia persona prima dicitur *Deus* ad se, *Pater* autem dicitur tantum ad Filium: et ideo eadem persona, quatenus Deus est, illud est quod est; non vero quatenus Pater est: itaque nomine substantiae indicatur entitas personalis. Et quoniam id quod personae singulae in sua personalitate sunt, id ipsum est in quo omnes unum sunt; ideo dicit S. Doctor: „Quaeris quid sit Pater: respondetur, Deus. Quaeris quid sit Filius: respondetur, Deus. Quaeris quid sit Pater et Filius: respondetur, Deus“. Relatio ergo in divinis non est substantia seu entitas personalis: et Verbum non est verbum secundum id quod est, sed secundum quod id quod est, a Patre per intellectualem operationem accepit; sicut Pater non est pater secundum id quod est, sed secundum quod ex eo Filius natus est: nec aliud est ibi esse quam Deum esse, ut dicit S. Doctor in fine capituli tertii.

16. Postquam declaravit ipse S. Augustinus, personae divinae constitutivum nihil aliud esse quam divinam essentiam, inquit cap. IV. qua ratione dicant graeci *unam essentiam, tres substantias*; latini vero *unam essentiam vel substantiam, tres personas*: et sic ratiocinatur. „Itaque loquendi causa de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possemus, quod effari nullo modo possumus, dictum est a nostris Graecis una essentia, tres substantiae: a Latinis autem, una essentia vel substantia, tres personae; quia, sicut jam diximus, non aliter in sermone nostro, id est, latino, essentia quam substantia solet intelligi. Et dum intelligatur saltem in aenigmate quod dicitur, placuit ita dici, ut diceretur aliquid cum quaereretur quid tria sint, quae tria esse fides vera pronuntiat, cum et Patrem non dicit esse Filium, et Spiritum Sanctum quod est donum Dei, nec Patrem dicit esse nec Filium. Cum ergo quaeritur quid tria, vel quid tres, conferimus nos ad inveniendum aliquod speciale vel generale nomen, quo complectamur haec tria, neque occurrit animo, quia excedit supereminentia divinitatis usitati eloquii facultatem. Verius enim cogitatur Deus quam dicitur, et verius est quam cogitatur. Cum enim dicimus non eundem esse Jacob qui est Abraham, Isaac autem nec Abraham esse nec Jacob, tres esse utique fatemur,

Abraham, Isaac et Jacob. Sed cum quaeritur quid tres, respondemus, tres homines, nomine speciali eos pluraliter appellantes; generali autem, si dicamus, tria animalia: homo enim, sicut veteres definirunt, animal est rationale, mortale: aut sicut Scripturae nostrae loqui solent, tres animas, cum a parte meliore totum appellari placet, id est, ab anima, et corpus et animam, quod est totus homo. Ita quippe dictum est in Aegyptum descendisse cum Jacob animas septuaginta quinque, pro tot hominibus. Item cum dicimus equum tuum non eum esse qui meus est, et tertium alicujus alterius nec meum esse nec tuum, fatemur tres esse: et interroganti quid tres, respondemus, tres equos, nomine speciali; generali autem, tria animalia. Item cum dicimus bovem non esse equum, canem vero nec bovem esse nec equum, tria quaedam dicimus: et percontantibus quid tria, non jam speciali nomine dicimus tres equos, aut tres boves, aut tres canes, quia non eadem specie continentur; sed generali, tria animalia; sive superiore genere, tres substantias, vel tres creaturas, vel tres naturas. Quaecumque autem plurali numero enuntiantur specialiter uno nomine, etiam generaliter enuntiarum possunt uno nomine. Non autem omnia quae generaliter nomine uno appellantur, etiam specialiter appellare uno nomine possumus. Nam tres equos, quod est nomen speciale, etiam animalia tria dicimus: equum vero et bovem et canem, animalia tria tantum dicimus vel substantias, quae sunt generalia nomina, et si quid aliud de his generaliter dici potest; tres vero equos, aut boves, aut canes, quae specialia vocabula sunt, non ea possumus dicere. Ea quippe uno nomine quamvis pluraliter enuntiamus quae communiter habent illud quod eo nomine significatur. Abraham quippe et Isaac et Jacob commune habent id quod est homo: itaque dicuntur tres homines: equus quoque et bos et canis commune habent id quod est animal; dicuntur ergo tria animalia. Ita tres aliquas lauros, etiam tres arbores dicimus; laurum vero et myrtum et oleam, tantum tres arbores, vel tres substantias, aut tres naturas: atque ita tres lapides, etiam tria corpora; lapidem vero et lignum et ferrum, tantum tria corpora, vel si quo etiam superiore generali nomine dici possunt. Pater ergo et Filius et Spiritus Sanctus, quoniam tres sunt, quaeramus quid tres sint, et quid commune habeant. Non enim commune illis est id quod Pater est, ut invicem sibi sint patres; sicut amici, cum relative ad alterutrum dicantur, possunt dici tres amici, quod invicem sibi sunt. Non autem hoc ibi, quia tantum Pater ibi pater; nec duorum pater, sed unici Filii. Nec tres filii, cum Pater ibi non sit filius, nec Spiritus Sanctus. Nec tres spiritus sancti, quia et spiritus sanctus propria significatione qua etiam donum Dei dicitur, nec Pater nec Filius. Quid igitur tres? Si enim tres personae, commune est eis id quod persona est; ergo speciale hoc aut generale nomen est eis, si consuetudinem loquendi respici-

mus. Sed ubi est naturae nulla diversitas, ita generaliter enuntiantur aliqua plura, ut etiam specialiter enuntiarī possint. Naturae enim differentia facit ut laurus et myrtus et olea, aut equus et bos et canis, non dicantur speciali nomine, istae, tres lauri; aut illi, tres boves: sed generali, et istae, tres arbores; et illa, tria animalia. Hic vero ubi nulla est essentiae diversitas, oportet ut speciale nomen habeant haec tria, quod tamen non invenitur. Nam persona generale nomen est, in tantum ut etiam homo possit hoc dici, cum tantum intersit inter hominem et Deum. Deinde in ipso generali vocabulo, si propterea dicimus tres personas, quia commune est eis id quod persona est (alioquin nullo modo possunt ita dici, quemadmodum non dicuntur tres filii, quia non commune est eis id quod est filius); cur non etiam tres deos dicimus? Certe enim quia Pater persona, et Filius persona, et Spiritus Sanctus persona, ideo tres personae: quia ergo Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus, cur non tres dii? Aut quoniam propter ineffabilem conjunctionem haec tria simul unus Deus; cur non etiam una persona, ut ita non possimus dicere tres personas, quamvis singulam quamque appellemus personam, quemadmodum non possumus dicere tres deos, quamvis quemque singulum appellamus Deum, sive Patrem, sive Filium, sive Spiritum Sanctum? An quia Scriptura non dicit tres deos? Sed nec tres personas alicubi Scripturam commemorare invenimus. An quia nec tres, nec unam personam Scriptura dicit haec tria (legimus enim personam Domini, non personam Dominum), propterea licuit loquendi et disputandi necessitate tres personas dicere, non quia Scriptura dicit, sed quia Scriptura non contradicit: si autem diceremus tres deos, contradiceret Scriptura, dicens, *Audi, Israel Dominus Deus tuus, Deus unus est?* (Deut. VI., 4). Cur ergo et tres essentias non licet dicere, quod similiter Scriptura, sicut non dicit, ita nec contradicit? Nam essentia si speciale nomen est commune tribus, cur non dicantur tres essentiae, sicut Abraham, Isaac et Jacob, tres homines, quia homo speciale nomen est commune omnibus hominibus? Si autem speciale nomen non est essentia, sed generale, quia homo, et pecus, et arbor, et sidus, et angelus essentia dicitur; cur non dicuntur istae tres essentiae, sicut tres equi dicuntur tria animalia, et tres lauri dicuntur tres arbores, et tres lapides tria corpora? Aut si propter unitatem Trinitatis non dicuntur tres essentiae, sed una essentia; cur non propter eandem unitatem Trinitatis non dicuntur tres substantiae vel tres personae, sed una substantia et una persona? Quam enim est illis commune nomen essentiae, ita ut singulus quisque dicatur essentia, tam illis commune est vel substantiae vel personae vocabulum. Quod enim de personis secundum nostram, hoc de substantiis secundum Graecorum consuetudinem, ea quae diximus, oportet intelligi. Sic enim dicunt illi tres substantias, unam essentiam, quem-

admodum nos dicimus tres personas, unam essentiam vel substantiam. Quid igitur restat, nisi ut fateamur loquendi necessitate parta haec vocabula, cum opus esset copiosa disputatione adversus insidias vel errores haereticorum? Cum enim conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum sensus, quod in secretario mentis pro captu tenet de Domino Deo creatore suo, sive per piam fidem, sive per qualemcumque intelligentiam, timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa aequalitate ulla diversitas. Rursus non esse tria quaedam, non poterat dicere, quod Sabellius quia dixit, in haeresim lapsus est. Certissime quippe de Scripturis cognoscitur quod pie credendum est, et aspectu mentis indubitata perceptione perstringitur, et Patrem esse et Filium et Spiritum Sanctum; nec Filium esse eundem qui Pater est, nec Spiritum Sanctum eundem esse vel Patrem vel Filium. Quaesivit qui tria diceret: et dixit substantias sive personas, quibus nominibus non diversitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit; ut non solum ibi unitas intelligatur ex eo quod dicitur una essentia, sed et trinitas ex eo quod dicuntur tres substantiae vel personae. Nam si hoc est Deo esse quod subsistere, ita non erant dicendae tres substantiae, ut non dicuntur tres essentiae: quemadmodum quia hoc est Deo esse quod sapere, sicut non tres essentias, ita nec tres sapientias dicimus. Sic enim quia hoc illi est Deum esse quod est esse, tam tres essentias quam tres deos dici fas non est. Si autem aliud est Deo esse, aliud subsistere, sicut aliud Deo esse, aliud Patrem esse vel Dominum esse; quod enim est, ad se dicitur, Pater autem ad Filium, et Dominus ad servientem creaturam dicitur: relative ergo subsistit, sicut relative gignit et relative dominatur. Ita jam substantia non erit substantia, quia relativum erit. Sicut enim ab eo quod est esse, appellatur essentia; ita ab eo quod est subsistere, substantiam dicimus. Absurdum est autem ut substantia relative dicatur: omnis enim res ad se ipsam subsistit; quanto magis Deus? Caput istud quartum integrum transcripsi, ut lectori facilius pateat mens S. Doctoris circa materiam illius. In eo primum ostendit, adhibitis rerum visibilibus exemplis, non esse aliquod speciale nomen quo personae divinae collective appellari possint. Nam ipsum *personae* nomen non est proprium Dei, sed ei cum creatura rationali commune. Nomina autem *Patris*, *Filii* et *Spiritus Sancti*, eo ipso quod per ea personas distinguimus, manifestum est non posse tribus personis esse communia. Denique nomen *Deus*, quod speciale est, ac tribus personis aequae convenit, in plurali usurpare non licet, dicente Scriptura: „Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Deus unus est“. Deinde inter nomen *personae* ac nomina *Dei* et *essentiae* comparatione instituta, et attendendo ad id quod in rei veritate sunt Pater, Filius et Spiritus Sanctus, nullam rationem invenit S. Doctor propter quam ipsi quos tres personas esse dicimus, *tres personae*

potius quam *tres dii* vel *tres essentiae* dicendi sint. Attendendo, inquam, ad id quod tres personae sunt: nam agnoscit S. Doctor, ipsas non esse dicendas *tres deus*, quia Scriptura contradicit; neque *tres essentias*, ne intelligatur in illis ulla diversitas. Ergo juxta S. Augustinum persona divina nihil aliud est quam divina essentia, cum inter esse Deum et esse personam et esse essentiam nullatenus ipse distinguat. Propterea sane dicit, quod humana inopia timuit dicere *tres essentias*, ne intelligeretur in illa summa aequalitate ulla diversitas. Et similiter S. Fulgentius in lib. de Trin. cap. III., „Ergo sunt, inquit, tria quaedam coaeterna, consubstantialia, coessentialia. Sed cum quaeretur a Patribus, et diceretur: Quid tria? nec essentias, nec substantias, nec naturas dicere ausi sunt: ne aliqua forte diversitas crederetur essentiarum, aut naturarum, aut substantiarum“. Quid est enim quod non *ausi sunt* dicere *tres essentias*, nisi quod in singulis personis non aliud viderunt nisi solam essentiam? Et ideo S. Augustinus „Quaesivit, inquit, qui tria diceret: et dixit substantias sive personas, quibus nominibus non diversitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit“: id est, dicendo *tres personas* sola significatur distinctio numerica, non autem indicatur inter tres existere ulla diversitas. Itaque non solum non est in Trinitate ulla diversitas secundum rationem essentiae, sed neque secundum rationem personae. Imo trium personarum unam docet S. Augustinus esse subsistentiam dicens: „Nam si hoc est Deo esse quod subsistere, ita non erant dicendae tres substantiae, ut non dicuntur tres essentiae“: et in fine capituli V.: „Unde hoc est Deo esse quod subsistere, et ideo si una essentia Trinitas, una etiam substantia. Fortassis igitur commedius dicuntur tres personae, quam tres substantiae“. Relationem autem in persona divina non esse aliquid subsistens, ita declarat: „Si autem aliud est Deo esse, aliud subsistere, sicut aliud Deo esse, aliud Patrem esse vel Dominum esse: quod enim est, ad se dicitur: Pater autem ad Filium, et Dominus ad servientem creaturam dicitur; relative ergo subsistit, sicut relative gignit et relative dominatur. Ita jam substantia non erit substantia, quia relativum erit. Sicut enim ab eo quod est esse, appellatur essentia, ita ab eo quod est subsistere, substantiam dicimus. Absurdum est autem ut substantia relative dicatur; omnis enim res ad se ipsam subsistit; quanto magis Deus?“ Si ergo ab eo quod est esse, appellatur essentia; et hoc est Deo esse quod subsistere: manifestum est essentiam divinam per se ipsam subsistere. Deinde si aliud est Deo esse, aliud vero Patrem esse vel Dominum esse; non minus evidens est, relationem paternitatis vel dominationis non esse divinam essentiam, et consequenter non esse subsistentem. Praeterea, cum *Patrem esse* et *Dominum esse* aequiparentur quoad distinctionem relationis ab essentia, quis non videat quod in relatione paternitatis non agnoscit S. Doctor nisi

nudum respectum ad Filium, qualem omnes agnoscunt in relatione Domini ad servum? Et hoc sane exprimit S. Doctor dicens; „Quod enim est, ad se dicitur; *Pater* autem ad Filium, et *Dominus* ad servientem creaturam dicitur“.

17. Et si hucusque dicta alicui non sufficiant, audiat iterum S. Doctorem, cap. VI. de eadem re disserentem. „Sed ne nobis, inquit, videar suffragari, hoc quoque requiramus. Quamquam et illi, si vellent, sicut dicunt tres substantias, tres hypostases, possent dicere tres personas, tria prosopa. Illud autem maluerunt, quod forte secundum linguae suae consuetudinem aptius diceretur. Nam et in personis eadem ratio est: non enim aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem. Nam si esse ad se dicitur, persona vero relative; sic dicamus tres personas, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, quemadmodum dicuntur aliqui tres amici, aut tres propinqui, aut tres vicini, quod sint ad invicem, non quod unusquisque eorum sit ad se ipsum. Quapropter quilibet ex eis amicus est duorum caeterorum, aut propinquus, aut vicinus, quia haec nomina relativam significationem habent. Quid ergo? num placet ut dicamus Patrem personam esse Filii et Spiritus Sancti, aut Filium personam esse Patris et Spiritus Sancti, aut Spiritum Sanctum personam esse Patris et Filii? Sed neque persona ita dici alicubi solet, neque in hac Trinitate cum dicimus personam Patris, aliud dicimus quam substantiam Patris. Quocirca ut substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est; ita et persona Patris non aliud quam ipse Pater est; ad se quippe dicitur persona, non ad Filium vel Spiritum Sanctum; sicut ad se dicitur Deus et magnus, et bonus et justus, et si quid aliud hujusmodi. Et quemadmodum hoc illi est esse quod Deum esse, quod magnum, quod bonum esse; ita hoc illi est esse quod personam esse. Cur ergo non haec tria simul unam personam dicimus, sicut unam essentiam et unum Deum, sed tres dicimus personas, cum tres deos aut tres essentias non dicamus, nisi quia volumus vel unum aliquod vocabulum servire huic significationi qua intelligitur Trinitas, ne omnino taceremus interrogati, quid tres, cum tres esse fateamur?“ Cum dixerit S. Doctor in fine cap. V., quod „fortassis commodius dicuntur tres personae quam tres substantiae“, eo quod *substantia* dicatur a *subsistere*, quod in Deo unum est sicut essentia (ait enim ibi: „Unde hoc est Deo esse quod subsistere, et ideo si una essentia Trinitas, una etiam substantia); nunc initio capitis VI., quamvis dicat quod possent graeci, si vellent, sicut dicunt tres substantias, dicere tres personas, fatetur tamen eandem esse identitatem personae cum essentia atque substantiae cum essentia. „Nam et in personis, inquit, eadem ratio est: non enim aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem“. Deinde loquens de relatione, sic eam excludit a constitutione personae: „Sed neque persona ita dici alicubi solet, neque in hac Trini-

tate cum dicimus personam Patris, aliud dicimus quam substantiam Patris“. Et ut pateat quod in sensu absoluto, quin alicui locus sit distinctioni, relationem excludit; immediate subdit: „Quocirca, ut substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est; ita et persona Patris non aliud quam ipse Pater est“. Distinguitur ergo in Patre inter esse et patrem esse: quatenus est, persona vel substantia est; non quatenus pater est. Et hoc est quod S. Doctor asserit in expositione Psalmi LXVIII. dicens: „Cum autem Pater est, non illud est quod est“. Ex identitate autem personae cum essentia infert, in citato cap. VI., quod attendendo ad id quod persona est in Deo, non essent dicendae *tres personae*, sicut non dicuntur *tres essentiae*; sed *una persona*, sicut *una essentia*: nec alia de causa *tres personas* dicimus nisi quia ad significandam Trinitatem vocabulo aliquo indigemus: haec enim habet: „Et quemadmodum hoc illi est esse quod Deum esse, quod magnum, quod bonum esse; ita hoc illi est esse quod personam esse. Cur ergo non haec tria simul unam personam dicimus, sicut unam essentiam et unum Deum, sed tres dicimus personas, cum tres deos aut tres essentias non dicamus, nisi quia volumus vel unum aliquod vocabulum servare huic significationi qua intelligitur Trinitas, ne omnino taceremus interrogati, quid tres, cum tres esse fateremur?“

18. De mente S. Augustini S. Beda in suo Comment. in lib. Boetii de Trinit. haec scribit: „Augustinus in libro de Trinitate tres personas, inquit, ejusdem substantiae dicimus. Sed ne propter hoc videretur negare tres personas esse unam et eandem essentiam, subdit quasi corrigendo: Vel tres personas eandem essentiam dicimus, non autem ex eadem essentia, quasi aliud sit natura, et aliud persona. Ecce quomodo profitetur idem esse naturam et personam, et ideo unam naturam esse tres personas, et tres personas unam naturam“. Ideo ad quaestionem, utrum natura trium personarum sit adoranda, respondet: „Dicimus igitur quod *natura* nomen est abstractionis, quod licet translatum ad Deum nullam significet abstractionem, tamen semper hoc nomen *natura* prolatum, abstractionem dat intelligere ex prima inventione: sed abstractio naturae tribus personis nulla est. Igitur simplici quaerenti, est natura divina adoranda? Dicam, ita: Et qui negat, haereticus est, eo quod hoc nomen *natura* ad Deum translatum non significet abstractionem. Sapienti vero hoc idem quaerenti, postquam perventum est ad colloquutionem, dico, ut sola dictionis proprietates negetur, non est adoranda, eo quod semper dat intelligere abstractionem hoc nomen *natura*: ut vero sensus et rei veritas attendatur, affirmo esse adoranda“. Porro dum dicit quod abstractio naturae tribus personis nulla est, quodque natura, si attendatur rei veritas, est adoranda, significat, personam aliud non esse nisi naturam: nam de Semiarianis ait: „Sic etiam dicunt, naturam divinam non esse adoran-

dam, sed Deum esse adorandum, et personam. Sic igitur dicunt quod nihil Christi est adorandum, id est, nulla natura, nec divina scilicet nec humana: et hoc volunt habere ex auctoritate beati Augustini, ubi dicit, *Natura non assumpsit naturam, sed persona*: adorandus est igitur, inquiunt, qui assumpsit, scilicet persona; non qui non assumpsit, id est, natura“. Quibus ita respondet: „Attendens igitur Augustinus dictionis proprietatem solam, et non rei veritatem, dixit: *Natura non assumpsit naturam*; non negans veritatem rei, sed dictionis proprietatem: licet aliae causae inveniantur quare dixit, scilicet propter quosdam haereticos, qui dicebant naturam naturae immixtam. Verumtamen nec vidi nec inveni aliquem qui auderet profiteri se vidisse praemissam auctoritatem in Augustino“. Natura ergo non assumpsit naturam, secundum dictionis proprietatem; quia nomine naturae non intelligitur persona, persona autem est quae naturam, humanam scilicet, assumpsit: sed utique natura assumpsit naturam secundum rei veritatem, quatenus persona quae humanitatem assumpsit, nihil aliud est quam natura divina: Dummodo ergo ita quis loquatur ut nomine naturae non possit intelligi tota Trinitas, sed sola persona Verbi, sicut locutus est S. Fulgentius dicens: „Illa enim natura quae semper genita manet ex Patre, naturam nostram sine peccato suscepit, ut nasceretur ex Virgine“; non est talis loquendi modus contrarius veritati rei. Praeterea, juxta suam distinctionem inter dictionis proprietatem et rei veritatem, ad quaestionem utrum sit concedendum, *natura genuit naturam*, vel *natura personam*, vel *persona naturam*, respondet S. Doctor; „Ad hoc dico, quoniam nullum istorum affirmo vel nego, quia errorem possent haec verba inducere: jam enim videretur quod iidem genuerunt se“. Non affirmat igitur, ad vitandam erroneam intelligentiam; nam secundum dictionis proprietatem persona non est id quod intelligitur nomine naturae; non negat, ne adversetur veritati; quia secundum rei veritatem principium divinae generationis non est nisi divina natura, sicut et generationis terminus; quamvis non ut natura simpliciter, sed ut existens in principio respective et in termino. Sed non oportet principium vel terminum nomine designare *naturae*, nisi per alia verba vitetur equivocatio; quia *natura genuit naturam* non recte dicitur secundum dictionis proprietatem, et ideo non est admittendum sine explicatione; praeterquam quod explicatio propositionis praefatae difficilior est intellectu quam propositio *persona genuit personam*. Sed haec, inquam, valent respectu sermonis, quia, ut ait S. Augustinus, excedit supereminentia divinitatis usitati eloqui facultatem; non ita vero respectu cogitationis, nam Deus, ut idem Sanctus docet, verius cogitatur quam dicitur. „Cum quaeritur, inquit, quid tria, vel quid tres, conferimus nos ad inveniendum aliquod speciale vel generale nomen quo complectamur haec tria, neque occurrit

animo, quia excedit supereminentia divinitatis usitati eloquii facultatem. Verius enim cogitatur Deus quam dicitur, et verius est quam cogitatur“. Non invenitur, inquit, aliquod nomen quo Pater, Filius et Spiritus Sanctus collective significantur; quia secundum rei veritatem non debent potius dici *tres personae* quam *tres essentiae*, quasi aliud sit in divinitate persona, aliud essentia. Dicendo autem *unam essentiam, tres personas*, aliqua differentia significari videtur inter personam et essentiam, cum tamen intellectus noster, juxta S. Augustinum, nullam cogitando inveniat. Cogito ergo unum esse tria, ac tria esse unum; et unum non esse tria disjuncte, nec tria esse unum confuse; quomodo autem haec ita sint, non intelligo; et sic verificatur quod verius Deus est quam cogitatur. Item cogito divinam personam, et intelligo nihil aliud eam esse quam divinam essentiam: et nihilominus aliud intelligitur, cum dicimus *personam*; aliud, cum dicimus *essentiam*: et sic verificatur quod verius cogitatur Deus quam dicitur. Et oportet quidem diversa significari nominibus *personae* et *essentiae*, ut possimus dicere *tres personas* et *unam essentiam*, et sic aliquo modo significetur Patrem, Filium et Spiritum Sanctum non esse unum et tria secundum idem. Praeterquam quod, si idem omnino indicarent nomina *personae* et *essentiae*, Pater, Filius et Spiritus Sanctus aut dici deberent *una essentia* vel *persona*, aut *tres personae* vel *essentiae*: sed si dicerentur *una persona*, intelligerentur esse unum confuse: si vero dicerentur *tres essentiae*, intelligerentur esse tria disjuncte.

19. Restat ut de personarum divinarum subsistentia sermonem faciamus. De qua Richardus haec habet (Dib. IV. de Trin., cap. IV.); „Quidam personas subsistentias esse exponunt, et tres substantias, et unam substantiam in una divinitate dicunt, magis quam ostendunt; siquidem sic haec transeunt sine explanatione ac si legentibus omnibus constet tres subsistentias esse potuisse, etiam ubi constat non nisi unam substantiam esse; hanc vero eorum sententiam non arguo, non reprehendo, non falsam esse contendo. Sed quod verum esse compellor confiteri, quia haec eorum doctrina non satisfacit meae simplicitati. Si vultis mihi similibus satisfacere, oportet primum tam substantiae quam subsistentiae significationem diligenter determinare, et secundum datam determinationem assignare, quomodo possit esse plusquam una subsistentia, ubi non est nisi una substantia“. Nec mirum quod hoc dicat Richardus, cum S. Augustinus, Lib. VII. de Trin., cap. V., ex unitate essentiae divinae inferat unitatem divinae substantiae et subsistentiae dicens: „Nam si hoc est Deo esse quod subsistere, ita non erant dicendae tres substantiae, ut non dicuntur tres essentiae“. Et in fine ejusdem cap. V.; „Unde hoc, inquit, est Deo esse quod subsistere; et ideo si una essentia Trinitas, una etiam substantia“. In quibus sententiis non modo inferitur, ut diximus, unitas divinae substantiae ac sub-

sistentiae ex unitate essentiae, sed etiam unitas substantiae ex unitate subsistentiae; nam juxta S. Doctorem sicut ab eo quod est *esse*, appellatur *essentia*, ita ab eo quod est *subsistere*, *substantiam* dicimus. Et sane absurdum est, quod personarum subsistentia non sit ipsa subsistentia divinae substantiae, sed suam unaquaeque persona propriam habeat: nam in hac hypothese aut dicendum esset divinam substantiam per se non subsistere, sed per proprietatem vel in proprietate cujusque personae; aut ponendae essent duae subsistentiae in personis singulis, altera nempe substantiae, altera proprietatis: utrumque autem adeo manifeste falsum est, ut illud confutare non sit necesse. Aliunde vero quid deest divinae substantiae, ut personam constituere per se non possit? aut quid obstat quominus personam per se constituat? Dicent utique adversarii: — personae sunt tres; substantia una est: personae ergo distinguuntur ab invicem: substantia autem nequit distingui a seipsa: nec per aliud personae distinguuntur nisi per id quo in propria personalitate singulae constituuntur; et consequenter constitutum unius personae a constitutivo alterius distinguatur oportet: ergo constitutum cujusque personae non est substantia ut substantia: nam substantia unius personae non distinguitur a substantia alterius. — Ad haec autem respondeo, quod verum est objectionis antecedens quoad omnia. Quoad consequens vero sic distinguo: constitutum cujusque personae non est quidem substantia ut substantia simpliciter, quatenus est substantia ut principium et terminus communicationis ejusdem substantiae; sed utique est substantia ut substantia, quatenus principium et terminus non sunt aliud quam substantia, exclusa scilicet a constitutione personae proprietate relativa. Et per hanc distinctionem propositiones antecedentis explicari possunt. Personae quidem sunt tres, et substantia una est; sed personae nihil aliud sunt quam distinctae existentiae unius substantiae: unde quin substantia distinguatur a seipsa, personae distinguuntur ab invicem; quia substantia in sui communicatione manet una et indivisa; unde fit ut personae unum sint, quoniam aliud non sunt quam id quod communicatur; et simul tria sint, quoniam id quod communicatur, unam existentiam habet in communicationis principio, alteram in primae communicationis termino, ac tertiam in termino communicationis secundae; principium enim, quod est substantia, distinguitur a termino, qui est eadem quidem substantia, sed communicata; et consequenter secundum id quod personae sunt, seu secundum quod unum sunt, unum est constitutum omnium, nempe, substantia; quatenus vero id quod personae sunt, habet plures existentias consequenter a communicatione sui, unaquaeque persona habet proprium constitutum personalitatis suae, id est, propriam existentiam divinae substantiae. Ergo per id quod personae sunt, identificantur simul et distinguuntur; quamvis

non secundum idem, sed juxta distinctionem factam substantiae communicatae et principii vel termini communicationis. Ergo rursus substantia principii, secundum id quod est, vel ut divina substantia, communicatur termino; non autem communicatur, quatenus est personalis entitas principii; et ut talis entitas, personam constituit. Jam vero, si una et eadem substantia in tribus personis existit, una et eadem pariter in tribus subsistit: quid enim est subsistere nisi per se existere? Nihil ergo deest ex iis quae ad notionem personae pertinent, ut divina substantia tam in principio quam in termino communicationis suae personam per se constituat; siquidem per se existit, sui juris est, et, ut principium vel terminus communicationis, etiam incommunicabilis. Si autem una numero substantia subsistit in tribus existentibus suis, ex pluralitate existentiarum non sequitur pluralitas subsistentiarum, sed subsistentium: sicut enim unitas divinitatis non obstat quominus tres personae sint singulae perfectus Deus, ita non obstante unitate subsistentiae tres sunt qui perfecte subsistunt, et non minus singuli quam omnes simul. „Dicimus quidem, ait Richardus, proprietates personis inesse; sed illarum inesse, si bene perperdimus, non dat subsistere, sed existere“. (Lib. IV. de Trin., cap. XX.). Quod idem est ac dicere, existentias multiplicari, non autem plures substantias esse: subjungit enim: „Et ideo personae rectius dicuntur existentiae quam substantiae vel subsistentiae“. Contingit autem ut quandoque usurpetur abstractum *subsistentia* pro concreto *subsistens*; quod prae oculis habere oportet, ne quis in legendis quibusdam auctoritatibus aequivocationem patiatur. Denique de doctrina SS. Patrum haec habet ipse Richardus: (Lib. VI., cap. XXII.): „Si Patrem dicis, si ingenitam substantiam, si ingenitam personam nominas, eandem proculdubio personam designas. Proculdubio nihil aliud est Patris persona quam substantia ingenita; nihil aliud Filii persona quam substantia genita. Sed multi temporibus nostris surrexere qui non audent hoc dicere, quin potius, quod multo periculosius est, contra sanctorum Patrum auctoritatem, et tot attestaciones paternarum traditionum audent negare, et modis omnibus conantur refellere, nullo modo concedunt quod substantia gignat substantiam, vel sapientia sapientiam“. Quid significet Richardus dicens quod substantia gignit substantiam, patet ex aliis verbis ejus supra citatis n. 13, videlicet, quod *personae* in divinitate secundum substantiam dicuntur, et substantiam significant; et nihilominus, quamvis plures ibi personae, non tamen plures substantiae sunt. Substantia ergo gignit substantiam, non quatenus divina substantia gignat seipsam, id est, quatenus generationis principium sit etiam generationis terminus; nec quatenus id quod gignitur, sit substantia distincta a substantia generante; sed quatenus id quod gignitur, non est nisi divina substantia, non secus atque generationis principium: et ratio est, quia generatio communicatio est divinae

substantiae, quae proinde existit in communicationis termino sicut in principio. Talis profecto est doctrina SS. Patrum, ut satis et abunde probatum est, secundum quam unum subsistit in tribus personis, et consequenter una est trium subsistentia. Quam unitatem S. Hilarius saepe inculcat. Nam Lib. III. de Trin., n. 4 dicit de Patre et Filio: „Ex iis ergo quae in Patre, sunt ea in quibus est Filius, id est, ex toto Patre totus Filius natus est; non aliunde, quia nihil ante quam Filius; non ex nihilo, quia ex Deo Filius; non in parte, quia plenitudo deitatis in Filio; neque in aliquibus, quia in omnibus“. Et Lib. V., n. 35: „Unum Deum verum non apprehendit ignara evangelicae et apostolicae praedicationis impietas. Cujus quamvis intelligentiam, usque ad absolutissimam verae pietatis professionem, ex ipsis eorum doctrinis praestabimus; ut indivisus atque inseparabilis, non ex persona, sed ex natura, subsistens ex Patre Unigenitus intelligatur . . . Tenuimus enim omni hoc sermonis nostri libello eum ordinem, ut in quibus superiore libro Deum Filium docueramus, in ipsis nunc Deum verum ostenderemus . . . Reliquus autem nunc omnis sermo ad id proficiet, ut qui Deus verus esse intelligitur, non in Deum alterum deputetur; et quod ad alterum non proficit, ad unum intelligatur: unum autem illud non subsistentem naturam perimat in Filio, sed in Deo et Deo naturam Dei conservet unius“. Et ibid. n. 37: „Non enim per desectionem, inquit, aut protensionem aut derivationem ex Deo Deus est, sed ex virtute naturae in naturam eandem nativitate subsistit . . . Nativitas igitur Dei non potest non eam ex qua profecta est, tenere naturam. Neque enim aliud quam Deus subsistit, quod non aliunde quam ex Deo subsistit“. Et Lib. VII., n. 14: „Tenet itaque nativitas eam ex qua subsistit naturam, et Filius Dei non aliud quam quod Deus est, subsistit“. Et n. 17: „Cum natura Dei in naturam Dei substitisset, id est, ex Patre Filius natus esset; per virtutis ac naturae in se paternae conscientiam nihil ab se, nisi quod Patrem facientem vidisset, Filium facere posse testatus est“. Et n. 41: „Credi itaque sibi Dominus vult, ne forte per assumpti hominis dispensationem fidei conscientia periclitetur. Certe si quid afferat ambiguitatis caro, et corpus, et passio; vel operibus credatur, Deum in Deo esse, et ex Deo Deum esse, unum eos esse; dum naturae virtute uterque in se est, et neuter sine altero est; dum et Pater nihil ex suis amittit in Filio, et Filius totum sumit ex Patre quod Filius est. Non est corporalium naturarum ista conditio, ut insint sibi invicem, ut subsistentis naturae habeant perfectam unitatem, ut manens Unigeniti nativitas a paternae divinitatis sit inseparabilis veritate. Unigenito tantum istud Deo proprium est“.

20. *Dissertationis synopsis et conclusio.* — Divina substantia, quae quatenus una est ac tribus personis communis, *substantiae* nomen retinet; quatenus unamquamque personam

per se constituit, *personae* nomen accipit. Quamvis autem suppositum constituere ex eo habet, quod substantia sit; tamen ut substantia tantum, non nisi unum suppositum constitueret: constituit autem plura consequenter a communicatione sui. Et secundum hanc distinctionem aliud significatur nomine divinae substantiae, aliud nomine divinae personae. Substantia namque est id quod communicatur, et non obstante communicatione manet unum et indivisum: persona vero est id ipsum quod communicatur, sed ut existens in principio vel in termino communicationis; nam secundum hanc existentiam non communicatur, et personam constituit ab aliis distinctam. Substantiae autem communicatio nihil substantiae addit aut demit sive in principio communicationis sive in termino; et secundum hoc substantia personam constituit, ut substantia est. Communicatio ergo substantiae et productio personae unum et idem sunt. Nam quatenus communicationis terminus distinguitur a suo principio, communicationi convenit nomen productionis; quatenus vero terminus et principium una substantia sunt, communicationis nomine productionem designamus. Operatio autem qua divinae substantiae communicatio fit vel productio personae, substantialis vita est, quae non solius est propria principii, sed qualis principio inest, communicatur termino. Eatenus ergo operatio productiva attribuitur principio et non termino, quatenus persona producta procedit ab alia (non enim potest producere semetipsam); nequaquam vero quatenus vita termini in aliquo differat a vita principii; quomodo enim differet, cum una et eadem utriusque sit, et simplicissima? Unde non est majoris dignitatis principium esse quam terminum; et proinde nomen *Patris* non est dignitatis significativum, quatenus indicat principii proprietatem, sed quatenus includit naturae foecunditatem, quae principio convenit ut Deus est. Nec tamen inde sequitur, generationis terminum alterius debere generationis esse principium, eo quod perfectus Deus sit sicut principium suum: nam vita termini eadem numero est cum vita principii; unius autem vitae divinae unus tantum per generationem fructus existere potest. Conveniunt ergo personis attributa diversa secundum rationem principii ac termini productionis; sed secundum id quod sunt, nulla est inter eas differentia, cum aliud non sint, sive omnes simul, sive singulae, nisi summe perfecta et simplicissima substantia, quae qualis et quanta est, communicatur manens indivisa. Propter quod oportet personas nominibus appellare relativis, quibus respectus indicetur unius ad aliam tamquam principii productionis ad terminum, vel termini ad principium, ut sic eas ab invicem distinguamus; nam secundum id quod sunt, non inveniuntur nomina propria quibus eas distinguere possimus.